



**Defensio verae et piae sententiae Aurelii Augustini. Quod  
peccatum originis non sit substantia: Sed sit accidens vicium.  
: Contra impudens mendacium Matthiae Flacii Illyrici.**

<https://hdl.handle.net/1874/427029>

*2*  
DEFENSIO  
VERAE ET PIAE SEN-  
TENTIAE AVRELII  
AVGVSTINI.

Quòd

Peccatum originis non sit substantia; Sed  
sit accidens vicium.

*Contra*

IMPUDENS MENDACIVM  
MATTHIAE FLACII  
ILLYRICI.

*Authore*

D. TILEMANO HESHVSI.

IENÆ  
TYPIS VIDVAE GVNTHERI  
Huttichij. Anno

1572.

DE PLANA

LEADER ET PIAE SENI

SINTA VARELLI

HERSTALIN

C. 91

LEADER ET PIAE SENI

HERSTALIN

C. 92

THRAEDENS MENDACIA

MATTIAE TIECI

FELIX RIGER

HERSTALIN

LEADER ET PIAE SENI

I. A. N. E.

TYPEIS VIDAVE CANTHEMUS

HIERONIMI ANTONII

I. A. N. E.

DEFENSIO VERAE ET  
PIAE SENTENTIAE AVRE,  
LII AVGVSTINI.

Quod

Peccatum originis non sit substantia: Sed  
sit accidens vicium.

Contra

*Impudens mendacium Matthiae Flacy  
Illyrici.*



ROPHETA DAVID DESCRI-  
bens horribilem pertinaciam hæreticorum  
in defendendis erroribus & blasphemijis  
contra euidentissima testimonia Spiritus  
Sancti, confert eam furori serpentum &  
viperarum, quæ aures suas obturare solent,  
ne audiant vocem incantantium. Psal. 58.

Huius sententiae Spiritus sancti exemplum triste & obser-  
nuatu dignum videt proh dolor hæc nostra ætas ante oculos  
in Matthia Flacio Illyrico: qui cum in Manichæum erro-  
rem & blasphemiam prolapsus sit, ita ut contendat Pecca-  
tum originis non esse accidens vicium, sed substantiam:  
etiamsi à pluribus Ecclesiæ Doctoribus, vt à Doctore Mor-  
lino Episcopo Sambiense, piæ memoriaz. Doct. Kemnitio.  
Doct. Vuigando. Dñi. Andrea Scoppio, Doct. Kirch-  
nero, à me & ab alijs monstrata illi sit perspicua & indubi-

tata veritas, & primū verbo Dei clarissimo & immoto,  
deinde testimonij Augustini, purioris Antiquitatis, Luthe-  
ri & Philippi validē refutatus sit illius error & blasphemia,  
qua adserit quod Peccatum originis sit ipsa hominis sub-  
stantia: tamen non cedit veritati, sed oculis clausis, & obtu-  
ratis auribus more viperarum, obstinatissimè pergit defen-  
dere suum errorem, & turbare nouo Manichæismo Eccle-  
siam Iesu Christi.

Hoc sane graue sed etiam iustum est altissimi Dei iu-  
dicium in inuentores nouorum dogmatum, vt qui simpli-  
cem veritatem inuident Ecclesię, sibi ipsis configant oculos,  
& diuinitus excæcentur vt ad agnitionem veritatis redire  
non possint. Hoc ergo tristi exemplo Illyrici qui iuxta  
Paulum nunc est ~~autonatæ~~ & in sensu reprobum  
datus admoniti pijs, reuerenter & in timore Dei tractent sa-  
cram scripturam, semper metuant Dei iudicium, seuerissi-  
mè punientis abusum sui verbi: agnoscant suam infirma-  
tem: formident præstigias Satanæ: & ardenter inuocent  
Dominum adsiduè, vt Spiritu sancto ducantur in omnem  
veritatem. Cum Dauide semper repetamus: Da mihi  
Domine intellectum, vt obseruem Legem tuam, & custo-  
diam illam in toto corde: Deduc me in semita mandato-  
rum tuorum, quia ijs delector. Psalm. 119.

Collegi ante semestre clara & perspicua quædam te-  
stimonia Aurelij Augustini, in quibus disertis verbis osten-  
ditur quod Peccatum originis non sit substantia, vt Illyri-  
cus contendit, sed sit accidens vicium: vt monerem pios cer-  
tamen de quæstione nūm Peccatum sit substantia vel acci-  
dens ante 1200. annos agitatum & grauiter ab ortho-  
doxis Patribus diremptum esse: & ostenderem Illyrici er-  
orem in Manichæismum impingere. Ac scio me multis  
pijs &

pijs & doctis Pastoribus & alijs Christianis officium gratum  
præstisset. Tantum vero abest ut Illyricus tanti Doctoris  
Ecclesiæ Augustini nimirum, authoritate motus pedem ab  
errore retrahat, ut potius hanc lucem inuidet Ecclesiæ, &  
totis viribus nebulas densissimas ei offundere conetur, ne  
quis veritatē adspicere possit. Pagellas enim edidit hisce  
nundinis Francosurtensibus, in quibus furenter oppugnat  
testimonia Augustini à me collecta, & persuadere lectorem  
conatur, à me citata testimonia nihil facere ad præsentem  
controversiam de peccato originis, & magna ira in me de-  
bacchatur quod facem hanc Ecclesiæ præferre ausus fuerim.  
Deinde vero horribili impudentia pertrahere audet Augu-  
stinum in sua castra: ac si idem docuisset præstans ille Eccle-  
siæ Doctor, quod nunc nouus Manichæus Illyricus profite-  
tur. A se etiam deriuare conatur inuidiam Manichæismi;  
& omnem culpam erroris in nos antagonistas ipsius mira-  
bili artificio transferre.

Etsi autem adeò manifesta est sophistica elusio testimo-  
niorum Augustini: & palpabilis sit effrenis libido impu-  
denter mentiendi in Illyrico, ita ut cordati & docti homi-  
nes facile animaduersuri sint dolos, fraudes, sophismata, &  
calumnias hominis: Atq; etiam singula penè quæ euomuit  
& repetiuit in proxima pagella Illyricus, neruosè & solidè  
in meo Antidoto, quod ante paucos dies in lucem prodijt,  
Dei beneficio sint refutata & protrita, præsertim parte An-  
tidoti 4. & 6. tamen ut scriptoris Ecclesiastici præstantissimi  
& cuius grauissima est authoritas in Ecclesia Dei apud ho-  
mines doctos & recte sentientes, Augustini nimirum & pia  
sententia, & innocentia vindicetur ab impudentissimis ca-  
lumnijs Illyrici, qui tanto viro & tam præclarè de Ecclesia  
merito conatur adfricare scabiem Manichæam: tūm ne

rudiores & minus exercitati turbentur præstigijs & sophis-  
matibus Illyrici quibus inuoluit & singulari artificio ob-  
scurat splendorem veritatis, Læo iuuante respondebo ali-  
quid ad pagellas paucas quidem, sed mendacijs & sophis-  
matibus refertas, quibus Titulum fecit: De Augustini &  
Manichæorum sententia.

Duo sunt capita, de quibus agit Illyricus. Primum  
est de sententia Augustini in cōtrouersia: An peccatum ori-  
ginis sit substantia, an verò accidens vicium. Atq; in hac  
parte scripti primū valdè laborat, vt sophistica sua qua  
multum valet, & confidit plurimum, eludat testimonia Au-  
gustini, quæ contra ipsius errorem collegi: Deinde vt con-  
tortis Augustini dictis persuadeat lectorē, eodem modo  
docuisse Augustinum de peccato originis, quo nūc ipse Illy-  
ricus Manichæa deliria resuscitat.

Alterum est de Manichæismo: quæ fuerit Manichæo-  
rum de peccato originis sententia. Atq; in hac parte pri-  
mū valdè sudat & omnes neruos ingenij intendit, vt se  
purget de grauissimo scelere resuscitati Manichæismi, de  
quo à multis Ecclesiæ Christi Doctoribus palam accusatur.  
Deinde singulari artificio & studio magno hoc agit vt cri-  
men grauissimum, cuius ipse reus peragit, & de quo iam-  
dudum coram Ecclesia Christi conuictus est, deriuet in suos  
antagonistas. Hæc summa est scripti Illyrici. Ille quidem  
secundum morem suum delectatur confusione: inuidet n.  
lucem veritatis lectori: Itaq; miscet omnia. Tanta verò  
vtitur impudentia, vt non dubitem homines doctos & pios,  
quibus notus est Augustinus, statim in limine scripti offen-  
sum iri, & detestatueros tam immanem audaciam & impie-  
tatem hominis. Nos verò adsidente nobis gratia Iesu Chri-  
sti, cuius hæc causa est, pescuitati studebimus.

I. DE

## I.

# DE NATIVA SENTENTIA AVRELII AVGUSTINI.

Quòd

Peccatum originis non sit substantia: Sed  
sit accidens vicium.



ANTA EST EVIDENTIA ET perspicuitas testimoniorum Augustini, q̄ ante oculos posui, indicatis libris, & capitib⁹, vt monstri simile sit Illyricum hac de re audere mihi litem mouere. Facile enim cogitare posset Augustinum non ita ignotum esse pijs Pastoribus & viris doctis, vt loca citata inspicere & natuam sententiam expendere non possent. Verūm hæc est horum temporum calamitas, vt prorsus nihil pudeat præstigiatores. Negare audet Illyricus se vnquam docuisse Satanam esse conditorem veteris hominis: cum multoties in ipsius libris hæc blasphemia extet, vt in meo Antidoto prolixè demonstravi, indicatis libris & paginis. Quid cum tām impudente homine agas amplius? Solem in meridie lucere negabit prius, quām cedere volet veritati. Ac ego sane aliud apud me statuere non possum, quām projecisse eum omnem pietatem, & nec Deum nec Ecclesiam quidquam amplius curare: siquidem tām immani impudentia suam tuetur blasphemiam, & pertulantissimè criminatur eos, qui mōstrant ei veritatem. Hęc enim sunt effugia Illyrici.

I. Primum. Quando Augustinus negat peccatum esse

substantiam, tum ille de tali substantia loquitur quæ propriè habet materiam, & per se existit: Sicut vulgus accipit substantiam pro materia & forma. At cum Illyricus loquitur de substanciali peccato, tractatione Theologica de forma essentiali agit.

Attendat lector quām sit hoc impudens effugium. Illyricus sæpè testatus est se hoc sensu accipere vocabulum substantiæ, quo solet opponi accidentibus. In Demonstrat. In Confessio. & Clave. Augustinus etiam opponit inter se substantiam & accidentia, in hac ipsa controuersia. Cur ergò ludit hīc præstigijs Sophista impudens? cur rudiorum oculos fascino præstringere conatur? Sæpè declarat Augustinus vocabulum substantiæ, quod à subsistendo dicatur, & quod sustineat accidentia. Nec vulgus indoctum, sed homines literati materiam & formam substantialem vocant substantiam. Quæ potest, quæ so te, illa substancialis forma cogitari sine materia? Euidens igitur figmentum & impudens mendacium est quòd sophisticatur Illyricus. Vocabulum substantiæ aliter apud Augustinum, aliter in hac controuersia usurpari. Augustinus de peccato originis differens adserit illud nullo modo dici posse substantiam: mox recitatibus ipsius verba, omnes ergò rimas obstruxit sycophantæ Illyrico. Si forma substancialis hominis est peccatum originis substancialis, iuxta tuam phrenesin, quid quæso erit uaria hominis? an illa erit iusticia seu quinta essentia? Cordatus lector secū expendat in quantas absurditates sese præcipitet Illyricus. Sic ergò statuas Lector. Vocabulum substantiæ non alio sensu usurpari apud Augustinum in hac controuersia de peccato originis, quām usurpatur à nobis & antagonista nostro in præsenti controuersia. Nam sicut nos vocabulum substantiæ opponimus vocabulo

bulo accidentis, ita prorsus eodem modo & Augustinus  
disputans contra Manichæos & Pelagianos de peccato ori-  
ginis.

Secundò, effugia querit Sisyphus & nouis Manichœus  
in voce peccati. Augustinus, inquit, more vulgi perperam,  
& non rectè more scripturæ usurpauit vocē peccati. Quàm  
crassa & impudens hæc est cauillatio? Si quis ex omnibus  
Patribus & scriptoribus post Apostolos diligenter ponde-  
rauit & vrsit dicta sacræ scripturæ, de peccato originis, Au-  
gustinus id fecit: qui etiam sine omni dubitatione diuinitùs  
ad illustrandā & defendendā doctrinam de peccato originis  
contra Manichæorū & Pelagianorū furores excitatus fuit.  
Nō à vulgo sed à Spiritu sancto dīdicit quid sit peccatum, &  
nō tantum actualia peccata à Deo accusari in Lege, sed etiā  
morbum & vulnus naturæ infictum à Satana. Etsi alicubi  
excidit ei ἀνηρολογία, tamen de peccato ex Propheticis &  
Apostolicis scriptis est locutus. Portenta sane & figura  
Illyrici ignorauit: sicuti & Prophetis & Apostolis ignota  
fuerunt. Nullum ergò hic patet effugium Illyrico. Augu-  
stinus diserté de peccato originali agit, de vicio, de mor-  
bo, & vulnere humanæ naturæ, negat peccatum originale  
esse substantiam, & adfirmat esse accidens vicium. Execran-  
dæ ergò sunt præstigiæ Illyrici qui rudi lectori conatur of-  
fundere nebulas, cum res sit manifestissima & sole meridia-  
no clarior. Similes præstigiæ sunt quod dicit Augustinum  
& Patres in genere & in abstracto loqui de peccato, se verò  
considerare peccatum originale in ipso homine. Tām pu-  
tida sophisticandi libido digna est omnium bonorum odio.  
Augustinus non semper in genere, sed səpè in specie de pec-  
cato originali loquitur, & testatur illud non substantiam,  
sed accidens vicium. In manifesto ergò mendacio depræ-

henditur hic Illyricus: clara & euidentia testimonia mox videbimus. Deinde quando Augustinus & Patres in genere negant Peccatum esse substantiam, certe & speciem peccati originalis complectuntur, nisi forte Illyricus nouam fabricauit Dialecticam, ut nouā exorsus est Theologiam. Augustinus non loquitur ita in abstracto de peccato tanq; de Ideā Platonica, sed ipsum morbū, vulnus, maliciā, fæditatē, & trāfīas, defectum, tenebras, prauitatē, in ipso homine, in anima & corpore considerauit multō melius iuxta Dei verbum quā decem Flacij Manichæis deliramētis fascinati. Adeò frustra hic quæsiuit rimas elabendi Illyricus.

Tertium effugium est. Augustinū respexisse in verba & sentētias Manichæorū, q;cōtendebant oīa peccata etiā actualia esse substātias. Hic sorex pdit se suo indicio. Fatetur impostor Augustino fuisse certamē cū Manichæis, q; cōtēderint oīa peccata etiā actualia fuisse substātias. Quā ergo cōfessiōnē opposuit huic errori Augustinus? Hic mihi responde argue sophista? distinxit ne Augustinus? cōcessit ne aliquod p̄ctm, videl: originale esse substātiā? obmutescis p̄stigiatō? rimas elabēdi q̄ris? imō p̄ssiū tecū ago, & nō ita dimitā te. Manichæos cōtendētes oīa peccata, etiā actualia esse substātias, refutauit Agustinus: quomodo? qua ratione? cōcessit ne originale p̄ctm tantū esse substātiā? si dixeris, conuincā te de mēdacio impudētissimo. Nā Augustinus & generatim respondit nullū p̄ctm esse substātiā: & speciatim de peccato orig. docuit, q; p̄ctm orig. nō sit substātia, sed accidens viciū, & hoc modo refutauit infanos Manichæos. Ergo & Illyrici blasphemīa refutauit Augustinus. Quod si August. tantū somniasset aliqd de furioso cōmento Flacij, an nō p̄clarā habuisset occasiō declarandi suā mentē? imō an nō impoſita illi fuisse necessitas usurpandi Phrases Illyrici? Sigdem Manichæi cōtendebant peccata esse substātias. Saltē

Saltē discrimē facere debuisset, videlicet p̄cta actualia  
perperā dici substantias: P̄t̄m verò originale rectè dici sub-  
stantiā à Manichæis: sed nequaq̄ sic loq̄tur August. Imò sim-  
pliciter p̄nunciat p̄cta nō esse substantias, & in specie de p̄to  
orig. contra Manichæos & cōtra Illyri. resuscitatorē furoris  
Manichæorū p̄nunciat, & docet p̄t̄m origi. & viciū naturæ  
q̄ origine trahimus ex Adam, nullo modo esse substantiam.  
An nō igitur stupendā suā impietatē domestico testimonio  
hīc pdit Illyricus, q̄ nec Deū vereatur, nec vniuersā Eccliam  
flocci faciat, & q̄ manifestus hostis sit veritatis, siquidē adeo  
manifeste, palbabiliter & impudenter in cōspectu Dei, sancto-  
rū angelorū, & totius Ecclie mētiri audet. Pudeat te turpissi-  
me sycophanta & derisor oīs religionis, q̄ adeo oīs verecun-  
diæ obliuisceris, & oīs hoīes p̄ fungis habes, q̄ hanc tuā p̄fi-  
diā nō possint animaduertere. Tu ipse fateri cogeris Mani-  
chæos cōtendisse q̄ p̄t̄m sit substantia. Fateri etiā cogeris q̄  
Augustin. se opposuerit huic blasphemiq̄ : & in hoc ipso cer-  
tamine plurima extant clarissima, disertissima & manifestissi-  
ma testimonia in q̄bus Augustinus p̄nunciat p̄t̄m originis  
nullo modo esse substantiā, nec esse quiddā substantiale(er-  
gò nec forma est substantialis) sed esse accidens vicum. Et  
tamen tam immanis est impudentia in Flacio Illyrico, vt in  
cōspectu altissimi Dei, & corā sancta Christi Ecclesia cōten-  
dere audeat Augustinum sensisse cum Illyrico in cōtrouersia  
de peccato originis. Euidens hoc argumentum est Illyricū  
piecisse oīm pictatē, & vacare omni timore Dei : Nam tam  
impudens & manifestum mendacium in negocio religionis  
est p̄t̄m vastans cōscientiā. Si Illyricus non legit Augu-  
stinum, sicuti mihi sāpē mouet suspicionē. Nam de dispu-  
tationibus & certaminib. Augustini stolidē loquitur: Et vo-  
culas qua sādā allatrat, nō cōsiderata serie disputationis apud  
Augustinū; qđ potest isto hoīe dici impudentius? Si

Si verò legit vel per transennam aliquando inspexit Augustinum, quid illo sceleratus, qui contra suam conscientiam audet Manichæam scabiem adfricare Augustino, contra quam pestein iste heros fortissimè pugnauit? Expendat ergò hoc effugium pius Lector. Nam hinc de toto conatu Illyrici iudicium facere potest.

Quartum effugium Illyrici est Augustinum multum vrsisse defectum boni, parùm verò considerasse positionem mali: meræ sunt præstigia lector in termino scholasticorum Theologorum, de positivo malo. Est enim ambiguus & obscurus. Nostri Theologi etiam alicubi usurparunt in explicacione doctrinæ de peccato originis, hoc nimirum sensu: Quòd peccatum originis non sit tantum absentia donorum, ut sapientiæ, iusticiæ, vitæ, & libertatis, quæ dona amissimus in lapsu primi parentis: sed etiam sit præfens in homine & tristis malicia, prauitas, cæcitas, confusio, ex qua omnis generis peccata actualia nascuntur. Hoc nostri Theologi nominant posituum malum, id est, inhærentem maliciam. Nequaquam verò hoc volunt peccatum originis esse quidam *ὑφιστημένον* aut substantiam, aut qualitatem creatam, sed fœditatem quæ hæreat in anima & corpore. Iam si queras quidnam sit prauitas, malicia, fœditas, rectè dicitur quòd sit defectus, quemadmodum & Philippus in Locis loquitur, & alibi. Augustinus ergò rectè disputauit de peccato originis: & monstrauit non esse quandam substantiam, vel naturam, non esse rem conditam à Deo, sed confusionem, corruptionem, perturbationem, inquisitionem, deformacionem rei à Deo conditæ. Ac quia Manichæi infani eodem modo, quo nunc Illyricus, contendebant peccatum originis esse substantiam: Augustinus opposuit huic furori vocabulum defectus, & ostendit peccatum non esse substantiam: sed defectum

sed defectum & indigentiam boni: quemadmodum Luthe-  
rus & Philippus peccatum declararunt. Inane igitur sophis-  
ma est quod hoc loco attulit Flacins ad dementandos ru-  
diorum oculos.

Quintum effugium est Augustinum passim loqui de  
peccatis actualibus quoties adfirmat peccatum non esse sub-  
stantiam, sed accidens vicium: se vero agere de peccato  
originis. Ergo Augustini testimonia nihil faciunt contra  
Illyricum. Ad stuporem usque miror Illyricum adeo sine  
omni fronte mentiri, & quidem coram tota Ecclesia Dei, &  
in causa religionis. Si mica veri timoris Dei in ipso existe-  
ret, saltem Deum & Ecclesiam vereretur. Facile cogitare  
potest homines eruditos & studiosos veritatis, statim con-  
sulturos libros Augustini, praesertim cum ego libros & capi-  
ta, & paginas indicauerim. Repetam ergo testimonia, &  
ante oculos & ante pedes demonstrabo Augustinum in spe-  
cie de peccato originis loqui, & saepè nominare peccatum  
originis, & tamen disertè adserere quod nullo modo sit sub-  
stantia, sed sit accidens vicium. An non igitur extrema  
est impudentia in Illyrico, quod tam manifesta, quæ ante  
omnium eruditorum oculos iacent, palam negare audet?  
perinde ac si ille solus haberet Augustini libros: aut tanta  
esset socordia in omnibus doctis & pijs Pastoribus, ut nemo  
eorum saltem inspiceret Augustinum, praesertim monstra-  
tis libris & capitibus.

Sextum effugium est: Quando Augustinus dicat con-  
cupiscentiam esse accidens vicium, tum eum de re venerea,  
quæ sit peccatum actuale, loqui, & non de originali: Re-  
spondeo tibi, mentiris Sophista, & sceleratè imponis minus  
exercitatis pijs. Imò multis in locis, ut mox, Deo iuuante,  
videbimus, agit Augustinus de ipso peccato originis, quod

concupiscentiā, legem membrorum, viciū naturae, vulnus  
infictum à Satana, morbum, languorem, &c. nominat, & di-  
fertē testatur quod originis vicium, quod trahimus à pa-  
rentibus, non sit substantia, sed sit accidens vicium. Fraudē  
ergo manifestissimam cōmittit hīc Illyricus, & quia ipse p̄e  
furore Manichæo nihil amplius videt, etiam totius Ecclesie  
oculos configere conatur.

De his strophis, effugijs & p̄stigijis Illyrici, quibus  
proxime edita pagella ab ipso fascinare conatur simpliciorū  
mentes primum admonendus fuit pius lector, & offusæ  
nebulæ discutiendæ: nunc in timore Domini, in conspectu  
altissimi Dei & coram sancta Iesu Christi Ecclesia Augusti-  
ni testimonia de p̄senti cōtrouersia repetamus & expen-  
damus. Attendant autem lector ad hæc quatuor capita, quæ  
funditus euertunt totum cōmentum Illyrici.

1. Quod peccatum originis non sit substantia.
2. Quod oīs substantia in quantū est substantia, sit res bona.
3. Quod in Ecclesia necessē sit discerni opus Dei in homi-  
ne, ab opere Diaboli, quod est peccatum.
4. Quod peccatum originis sit accidens malum.

Hæc ubi liquidò demonstrauerimus verbis Augustini, tūm  
judicet tota Ecclesia Iesu Christi, nū vel vncia veræ pietatis  
reliqua sit in Illyrico, qui tam apertā & omnibus sanis con-  
spicuā veritatem tanta impudentia oppugnare, religiosam  
antiquitatem tam manifesta iniuria adficere, & monitores  
suos omni genere atrocissimorū conuictiorū incessere audet.

Sic ergo scribit Augustinus lib. 6. cont. Julian. cap. 8.  
de peccato originis, contra Pelagianos disputans. Hoc ergo  
generi humano infictum vulnus à Diabolo, quidquid per  
illud nascitur cogit esse sub Diabolo, tanquam de suo frutice  
fructum decerpatur.

Obserua

Obserua h̄ic lector Augustinum de peccato orig. dispu-  
tare: nominat. n. vulnus inflictum generi humano à Diabo-  
lo; hoc sanè est p̄ctm orig. nimurū cāligo in mente, & mali-  
cia in voluntate, & praultas in corde. Ac quia Julianus op-  
pugnauerit hanc Augustini sententiam, plixē de ea disputat  
eamq; à calumnijs Juliani vindicat: ac l̄epē repetit hoc vul-  
nus à Satana inflictum homini, non posse dici substantiā. Nā  
cum Julianus calumniatus esset verba Augustini, quasi ex eis  
sciqueretur, Diabolum esse authore substantiē & naturę hu-  
manę: prolixē & multis verbis demonstrat Augustinus, non  
posse hoc extrui ex suis verbis. Ratio est, quia vulnus nō sit  
aliqua substantia, sed vicium in substantia. Sicuti vulnus in  
corpore non est substantia. Verba Augustini sunt retun-  
dantis calumnia Juliani. Quibus ita insidiaris, tanquam na-  
turę humānę authorem dixerim Diabolum, & ipsius, qua-  
homo constat, substantiæ conditorem, quasi vulnus in cor-  
pore possit appellare substantiam.

Disertē p̄nunciat Augustinus, sicuti vulnus in corpore  
nō potest appellari substantia: sic vulnus spirituale, q; Satan  
aię & toti homini inflixit, q; est ipsum p̄ctm orig. non potest  
appellari substantia. An posset aliquid dici apertius? Pergit  
Augustinus, & de metaphora disputat, q; p̄ctm originis ap-  
pellauerit fruticē Diaboli: q; suspicatur Julianū sic accepisse,  
ac si p̄ctm originis dixisset substantiā. Refellit igitur & hanc  
suspicionē, & negat p̄ctm originis vlo modo posse dici sub-  
stantiam. Sic enim inquit: Si propterea me putas dixisse Dia-  
bolum substantiæ conditorem, quia in ea similitudine, quæ  
à me adhibita est, fruticem dixi: Frutex quippe nullo dubi-  
tante substantia est: cur vſq; adeò te ostendis vel fingis in-  
doctum, vt cis rebus quæ substantiæ non sunt, adhibendas  
de substantia similitudines non existimes?

Augustinus peccato originis adhibuit similitudinem & nominauit fruticem: & docet aptam esse metaphoram. Quia ijs rebus quæ non sint substantiæ rectè adhibeantur similitudines de substantia sumptæ: Palam est ergò quod fastatur peccatum originis non esse substantiam. Munit deinde Augustinus sententiam suam testimonio & exemplo Christi: qui dixit, Arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos fructus facit. Et ostendit Christum intellexisse per arborem vel maliciam vel bonitatem in homine, per fructus opera vel bona vel mala. Iam quero ex te Sophista Illyrice, malicia in homine, ex qua ois generis actualia peccata scaturiunt, est ne peccatum originis? Omnipotens inquieris: Nam fons fontium est peccatum originis, hoc semper in ore habes. Et bonitas ipsa in homine, quæ omnis generis bona opera producit, estne iusticia originis? Omnipotens inquieris. Hoc enim sine fine & sine modo inculcare soles. Et sanè tu in hanc sententiam vrgere soles dictum Christi: Arbor bona facit fructus bonos, & arbor mala facit fructus malos: quod arbor bona sit iusticia seu bonitas originalis, arbor mala peccatum seu malicia originalis. Haec ne est tua mens Illyrice? hoc ne concedis? quid circumspetas? quid hæfitas: metuis ne te conuictum & constrictum prostrerat Hesshusius? Ego verò te conuictum & in mendacio deprehensum toti Ecclesiae ostendam: ita ut ipse fateri & manus dare cogereris nisi homo essem qui nescit erubescere.

Ostendimus Augustinum loqui de peccato originis, id que per metaphoram cùm vulnus, tūm fruticem, tūm mala arborem nominare, propriè verò maliciam. Iam attende lector quod Augustinus clarissimè pronunciet, peccatum originis, seu maliciam nullo modo esse substantiam: Verba ipsius sunt: Quis enim maliciam, siue bonitatem, vel opera bona

bona siue mala, quos velit fructus illarum arborum voluit intelligi, dicat esse substantias, nisi nesciens quid loquatur? Arguto Sophistæ rimas omnes obstruere cogimur ne elaboratur. Non loquitur Augustinus tantum de peccatis actualibus: sed in primis de peccato originali: nam de eo erat disputatione. Et distinctè Augustinus cum de peccato originali, quod appellauit arborem, & de peccatis actualibus, quæ appellauit fructus, agit. Et disertè dicit maliciam in homine, atq; etiam bonitatem, non esse substantias: Eum verò qui adfirmet maliciam esse substantiam, nescire quid loquatur. Illyricus igitur nouus Manichæus, iudice Augustino, nescit quid loquatur. An homo sanus eidemtiorē demonstrationem manifesti mendacij, quod Illyricus coram Ecclesia cōmisit, desiderare potest?

Si quis metaphoram Christi de arbore bona & mala, non tantum ad iusticiam & peccatum originale referat, sed ad ipsos etiam homines, non impedit Augustinus. Rectè enim vtrōq; modo accommodari potest: & vtraq; ratio loci vñitata est Christo, Prophetis & Apostolis. Homo & cor est radix malorum: Et malicia seu prauitas in corde est radix omnium peccatorum.

Et Augustinus fatetur vtriq; Phrasí congruere metaphoram Christi de arbore: quam Illyricus calumniam faciens Iesu Christo tantum de substantia cordis & hominis vult intelligi. Sed porrò audiamus quomodo Augustinus neget peccatum originis esse substantiam: Quòd si arbor bona vel mala, nō bonitas hominis, vel malicia, sed ipsi homines accipiendi sunt in quibus subiectis istas esse intelligimus, qualitates, bonitatem, scilicet in homine bono, maliciamq; in homine malo, ut ipsæ substantiæ sint arbores, id est, ipsi homines certe fructus earum, quæ nihil aliud quam

opera intelliguntur, nemo nisi imperitus dicit esse substanzias. Attende quæso lector. Augustinus disputat de nativo sensu verborum Christi, arbor bona bonos fructus facit. Ac distinguit inter bonitatē & substantiā hominis: inter maliciam & substantiā hominis. Hanc distinctionē non concedit Illyricus, sed dicit bonitatem originalē, ex qua bona opera nascuntur, esse ipsam substantiā aīæ: maliciā originalem, ex qua actualia peccata oriuntur, esse ipsam substantiā hoīs. Ex diametro igitur pugnat figurā Illyri. cū doctrina Augustini. Amplius Augusti, disputans de bonitate & malicia originali: nam supra nominauit eas arbore bonā & malam, q̄ intelligi non potest de peccatis actualibus, sed necessè est accipi de iusticia & peccato originali: hanc bonitatem siue iusticiā, maliciamq; originalē inquam, pronunciat esse Qualitates in hominibus tanq; in subiectis. Ecquid rerum agis Sophista? effugia quæris? nulla hic sunt, frustra te in tam varias formas vertis, cōstrictus hic teneris. Augustini testimonium est clarissimum: Et iusticiā, & iniusticiā originalē non esse substantiā, sed qualitatē in homine, vt in subiecto. Fundamentū igitur totum cui totus error Illyrici innititur, hic penitus euertitur ab Augustino. Hoc n.concessio, vt oīo cōcedendum est recte docuisse Augustinum q̄ iusticia & iniusticia originis non sit substantia, sed qualitas in subiecto, tota phantasia Illyrici euanuit, ὥιχεται. Instat autem Augustinus & amplius p̄mit Illyricum. Propter q̄ ego viciū q̄ generi humano Diabolus tanq; vulnus infixit, quamvis nullo modo substantia sit: recte tamē adhibui de substantia similitudinem vt fruticem dicerem, & fructus eius vicia etiam illa cum quibus homines nascuntur.

Nemo sano iudicio prædictus negare hic potest, quod Augustinus loquatur de peccato originis: Viciū enim & vulnus,

vulnus, quod Satan toti humano generi inflixit, quid aliud  
est quam peccatum originis? Et vicium quod rancig frutex pro-  
ducit fructus, scilicet vicia & peccata actualia, quid aliud est  
quam peccatum originis? Si iam oculos habes Illyrice, ape-  
ri eos, & vide quam grauiter prosternat tuum errorem Au-  
gustinus. Hoc vicium, inquit, qd Satan toti generi humano  
inflixit, hoc peccatum originis, ex quo fructus nascuntur, pecca-  
ta actualia, nullo modo est substantia. Aperi oculos Illy-  
rice, si potes: peccatum originis, teste Augustino, nullo modo est  
substantia. Ergo neq; est forma substantialis: Nam forma  
substantialis certe aliquomodo est substantia.

An non vides hic obstructum esse effugium tuum tibi  
admodum familiare: nimirum te non assere quod peccatum  
originis sit ipsa substantia hominis simpliciter, sed tantum  
quo ad formam substancialem animae in summo suo gradu.  
Hic ergo attende Illyrice: an non forma substantialis ali-  
quod modo est substantia? Omnidem. At Augustinus disertem  
dicit vicium quod generi humano inflixit Satan, quod est  
peccatum originis, nullo modo esse substantiam. Ergo peccatum ori-  
ginis non est forma substantialis, sed tantum forma acci-  
dentalis. Vertas & transformes te licet in omnes figuram  
tanquam Proteus, tamen elabi hic non potes. Evidentia  
enim veritatis constrictum, victimum, & prostratum te  
tenet.

Plura iam loca Augustini videamus, ut impudentiam  
Illyrici orbi Christiano demonstremus. Sic scribit eodem  
libro cont. Julian. cap. 11. tractans locum Pauli, cap. 7. qui  
est sedes doctrinae de peccato originis. Iam non ego ope-  
ror illud, sed habitans in me peccatum.

Ipse Illyricus in sua Confessione smp fatetur, Paulum  
hic de peccato originis loqui, licet stolidem ex Pauli verbis

extruere conetur peccatum originis esse naturam intelligentem : quem insultum errorem in Antidoto refutauimus. Hic satis est fateri Illyricum, peccatum quod habitat in nobis, esse peccatum originis. Iam Augustinum interpretem audiamus. Peccati autem nomine quod in illo habitabat, ipsam nominabat concupiscentiam. Hoc tibi obseruandum est lector, Augustino concupiscentiam non significare peccatum actuale, ut Illyricus sophisticatur, sed peccatum originale quod in Sanctis, teste Paulo, habitat. Audi iam quid sequatur : Nemo nostrum substantiam corporis, nemo naturam carnis accusat. Frustra purgatur abs te, quod non accusatur à nobis, concupiscentias malas, quibus si bene vivimus non cōsentimus, tamē esse nō negamus in nobis : castigādē sunt, frenandē sunt, expugnādē sunt. Sine omni inuolucro posuit Augustinus cōcupiscentiā esse peccatum orig. & cōcupiscentiā esse in Sanctis, eā culpari & accusari: sed substantiam corporis & carnis naturā nō accusari. Ergo, teste Augustino, substantia carnis, & peccatum originis nō sunt vnum & idē, ut Illyricus contendit. Vociferabitur hic rimā se videre qua elabi possit: se non loqui de crassa parte carnis, neq; de substantia corporis, sed de substantia animæ in summo suo gradu, nempe quo ad formam substantialem. Sed Augustinus obstruxit iamdudum hanc rimam: Nam & ipsam substantiam animæ distinxit à peccato originis. Anima, inquit, & corpus, & quecunq; bona animæ & corporis, naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt, quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. Lib. 4. contra Julian. tractans locum : Omne quod nō est ex fide, peccatum est. Ac constanter negat animā recte dici peccatum : Neq; exciderunt ei hæc verba incogitantia quadam, sed cum ea posuisset, in lib. de Nupt. & Concupis. lib. 1. cap. 3. & à Julianō exagitata essent : Augustinus loco citato

citato ea totidem syllabis repetit, & defendit. Ergò teste Augustino, peccatum originis, nec est substantia corporis, nec natura carnis, nec essentia animæ, nec materia, nec forma substantialis. Ita vides cordate lector protritum & conculetum esse mendacium Illyrici auctoritate Augustini.

Citaueram ego Augustini verba de Natura & Gratia. Cap. 19. vbi disertè adseuerat peccatum non esse substantiam. Hic in varios gyros tanquam tortuosus serpens se se torquet Illyricus, rogat nūm Augustinus probauerit sententiam Pelagij, negantis peccatum non esse substantiam nec existentiam: Fingit ibi agi de peccato actuali, & non de originali. Etiam obiicit crimen falsi, quia depræhedit σφαλμα Typographicum, quo genitiuus loco ablatui est positus. Adeò intentus est in omnes cauillandi occasiones.

Lectorē ergò hortor ut redeat mecum ad Augustinum, & expendat quis sit scopus disputationis in eo loco, quid probet vel improbet Augustinus, & quād validè prosterat totum figmentum Illyrici.

Status controvërsiæ erat inter Pelagium & Augustinum: quod hīc adfirmaret naturam peccato viciatam esse: ille negabat. Pelagius ergò huiusmodi contexebat argumentum. Quod non est substantia, non potest debilitare naturam: Peccatum non est substantia: Ergò peccato non est viciata natura.

Integrum argumentum extat apud Augustinum. Atq; hoc Pelagianorum argumentum & ab Illyrico & ab eius sectatoribus Manichæis productum fuit in scenam. Idcirco perspicua eius solutio obseruanda est apud Augustinum. Minorem ergò his verbis posuerat Pelagius, recitante Augustino. Vnde ante omnia quærendum puto, inquit, quid sit peccatum substantia aliqua, an omnino substantia carens

nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur: Et sibi ipsi respondens Pelagius addit. Credo ita est. Et mox denuò sibi respondet. Non est p̄t̄m aliqua substantia, sed tantum hoc nomine perperam facti actus exprimitur. Hic iam interrogat Il. Lyricus, nūm Augustinus ista Pelagi verba probauerit.

Respondeo planissimè: Augustinus palam approbavit verba Pelagi, quateaus dixit: Peccatum non esse substantiam. Nam ipse Augustinus non in Pelagi, sed in sua persona posuit mox & aliquoties repetiuit: quoniam peccatum tamen dicimus non esse substantiam. Quòd verò Pelagius attexuit Peccatum tantum esse perperam facti actum: nec probauit, nec refutauit isto in loco Augustinus. Est autem definitio peccati mutila, quia peccatum originis, quod negabat Pelagius, non complectitur. Idcirco improbanda est illa appendix.

Non autem de peccatis tantum actualibus disputauit Augustinus, sed in genere de omni peccato: & concessit nullum peccatum esse substantiam. Id manifestissimè patet ex his verbis Augustini quæ sequuntur. Cap. 20. Cernitis ne quòd tendat, & quòd manus porrigit hæc disputatio, vt omnino frustra dictum putetur: Vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum? Quomodo enim saluum faciet vbi nulla est ægritudo?

Attende lector Augustinum non tantum de peccatis actualibus agere, quæ Pelagius non negabat, sed in primis de peccato originali, quod Pelagius impugnabat. Et cum ægritudinem nominat, ipsum morbum in anima monstrat, qui est peccatum originis. Subiungit Augustinus: Peccata quippe à quibus dicit Euangelium: Saluum faciendum populum CHRISTI, substantiæ non sunt, & secundum istum

istum vitiare non possunt. Hic sole meridiano clarus est Augustinum non tantum log. de peccatis actualibus, sed in primis de originali; Quod enim CHRISTVS saluum faciat populum suum tam à peccato originis, quam à peccatis actualibus, Illyricus non audebit negare, etiam si totus corruptus sit furore Manichæorum: hoc ergo insolubile argumentum hic conteximus. CHRISTVS saluum facit populum suum tam à peccato originis quam à peccatis actualibus, atque ita ab omnibus peccatis.

Sed nulla peccata à quibus saluum facit CHRISTVS populum suum, est substantia, teste Augustino.

Ergo nullum p̄ctū, nec originale, nec actuale, est substantia, teste Augustino,

Hic solidi aliquid responde argute Sophista, si potes. Scio autem ne Satanam quidem hoc argumentum cum omni sophistica sua euertere posse: est enim clara & immota veritas, allatrabis fortassis tuo more: sed Lector cui inest cor & mens, haud dubie discrimen faciet inter garitus inanes, & solidam veritatem. Augustinus in eodem contextu aliquoties repetit Peccatum non esse substantiam: sed nos non certamus numero, sed euidentia testimoniorum.

Si quærat Lector quomodo soluerit Augustinus sophisma Pelagij.

Respondeo: Hoc in Augustino liquidò pater: Maiorem propositionem in argumento Pelagi falsam esse demonstrauit: & euicit id quod non est substantia, posse corrumpere naturam, ut abstinere à cibo, inquit, non est substantia, & tamen, si omnino abstineatur à cibo, non solum viciatur, sed & extinguitur natura.

Hic ergò futilitas eorum appareat, qui adfirmant si negetur quod peccatum originis sit substantia, tūm necessario ponit quod nulla sit facta corruptio naturæ. Quod Illyricus diuinat, sic legendum esse: An omnino substantia carens nomine, apertissima fraus & impudens crimen falsi est. Sic proprio scelere impletur, qui de alijs falsa cōminiscitur. Tota disputationis series, ipsa solutio sophismatis Pelagij, aliquoties repetita confessio Augustini, ex diametro pugnat cum fraudulenta illa contorsione verborum.

Obseruet Lector impudentiam Illyrici: Augustinus multoties dicit peccata non substantias. Et tamen portentum hoc audet ei tribuere meus antagonista: quod dixerit peccatum est substantia carens nomine. Hoc enim aptum videtur cōmento Illyrici. Inspiciat saltem lector locum: primo intuitu depræhendet dolum Illyrici. Ergò ne Pelagius hoc voluit: Peccatum esse substantiam quæ careat nomine: Pudeat te Sophista tantæ vanitatis. Hoc stolidum & impudens sophisma prodit Illyricum, quod vix à limine salutarit Augustinum. Fieri enim non posset, vt tām stolidè sophisticaretur, si tantum duas paginas in isto libro cum mediocri attentione legisset. Quod dicit Illyricus: Manichæos cōtendisse peccata actualia esse substantias, atq; idē hīc negasse Augustinum peccatum esse substantiam: præstigia sunt, & rursus prodit se doméstico testimonio quod vix inspicerit Augustini locum. Augustinus enim hīc ne verbulo quidem agit contra Manichæos. Sed Pelagium refellit, qui rectè adserebat peccatum non esse substantiam: sed mala consequentia inde texebat. Ergò naturam peccato non potuisse viciari. Ac supra monstrauit Augustinum de omnibus peccatis pronunciasse, quod nullum peccatum nec originale, nec actuale sit substantia. Quia de peccatis loquitur,

Ioquitur de quibus saluum facit Christus populum suum.  
Non igitur ego illudo pusilliſ Christi: sed Illyricus Syco-  
phanta est qui ridet Deum in cœlis, fascinare conatur pu-  
fillos Christi ne videat veritatem, crimen falsi committit im-  
pias sententias adfingendo Augustino, & fideles Christi mi-  
nistros contumelia adficit, de quibus sceleribus suo tempore  
redditurus est Deo rationem.

Augustinus lib. 2. cont. Julian. cum ex Cypriano, Gre-  
gorio & Ambrosio probasset pœnū originis, & quinq̄ Iulia-  
ani argumenta, quibus impugnabat pœnū originis, soluisset:  
legem peccati, quæ inest hominis membris, repugnans legi  
mentis, quia caro concupiscit aduersus Spiritum, etiam bap-  
tizatis Sanctis ingerere necessitatem pugnandi dicit.

Hic iam te interrogo argute Sophista: Lex peccati, q̄  
inest membris hominis, & repugnat legi mentis, est ne pœnū  
originis? Omnia. Hoc enim confessio tua sæpè vrget: &  
notus est locus Pauli. Ro. 7. Audi ergo quid porrò sequatur  
in Augustino: Cōtra quid? scilicet pugnare coguntur bapti-  
zati Sancti: nisi contra malum non substantiam, sed substā-  
tiæ vicium, Dei gratia nos regenerante non imputandum,  
Dei gratia iuuante frenandum, Dei gratia remunerante sa-  
nandum. Et paulò post dicit Santos pugnare cōtra id cum  
quo nati sunt. Quis ergo dubitare potest Augustinum in  
specie de peccato origi. loqui: quod peccatum originis dicit  
non esse substantiam, sed substantiæ vicium.

Addam adhuc vnum & alterum testimonium: nam si  
quis plura Augustini dicta requirit, is legat meum Antido-  
tum: nunc mihi breuitati est studendum, & Illyrici infirmita  
& impudentia conuincenda.

Lib. 1. de Nupt. & Concupiscent. ad Valerium, cap. 25.  
Si autem queritur quomodo ista concupiscentia carnis ma-

D

neat in

neat in regenerato, in quo vniuersorum facta est remissio  
peccatorum, &c. Ad hæc respondetur, dimitti concupiscen-  
tiam non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur.  
Quamuis autem reatu suo iam soluto maneret, tamen donec  
sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renouatione in-  
terioris hominis, de die in diem cum exterior induerit in-  
corruptionem: non enim substantialiter manet sicut ali-  
quod corpus, aut Spiritus, sed affectio est quædam malæ  
qualitatis, sicuti languor.

En totus tremit Illyricus conspiciens arietem: Non  
te peto Illyrice, sed sacrilegum tuum errorem: Abijce  
blasphemiam, & redi ad Ecclesiam, & nihil erit periculi,  
sed arietem admoueamus. Qui aliquid sani habet cere-  
bri is non potest negare Augustinum loqui de peccato ori-  
ginali, quod nominat concupiscentiam carnis. Id enim tota  
docet series disputationis. Et dicit concupiscentiam mane-  
re in regenerato: & concupiscentiam ita dimitti in Baptis-  
mo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Hoc  
nobile dictum Lutherus & Philippus & alij orthodoxi sæpè  
allegarunt de peccato originis. Præterea nominat infir-  
mitatem quæ maneat & paulatim sanetur: hoc sanè est  
peccatum originis. De hoc peccato originis iam pronun-  
ciat Augustinus illud non manere in homine substantiali-  
ter, sicut aliquod corpus aut Spiritus.

Audis ne, vides, & palpas ne Lector Augustinum di-  
sertè pronunciare, quod peccatum originis non sit substan-  
tia, nec aliquod corpus, nec aliquis Spiritus. Impugnat er-  
gò errorem Illyrici, qui contendit peccatum originis esse  
Spiritum, videlicet, essentialiē formam animæ, & sub-  
stantialiē

stantialem imaginem Satanae, in quam homo sit transfor-  
matus. Sic pueri in Dialectia didicimus: Omnis sub-  
stantia aut est corpus aut est Spiritus. Sed, teste Augustino,  
peccatum originis nec est corpus, nec est Spiritus: Ergo non  
est substantia.

Hem nouorum dogmatum fabricator quid agis? So-  
phismata cudas? Frustra te fatigas. Iam vicit veritas, &  
splendor solis iam discussit nebulas. Amplius munit ve-  
ritatem contra ILLYRICVM Augustinus: Peccatum  
originis, inquit, est affectio quædam malæ qualitatis, sicut  
languor. Negat ILLYRICVS peccatum originis esse  
qualitatem: Ergo contradicit Augustino. Qualitas autem  
non est substantia, sed accidens, quod apud omnes doctos &  
fanos puto extra controuersiam esse. Quod dixit adfe-  
ctionem, non intelligit affectum vel motum, sed dispo-  
sitionem, & morbum. Lib. 6. contra Julianum,  
distinguit inter affectionem, & affectionalem qualita-  
tem: Sed hoc loco pro ipsa affectionali qualitate usur-  
pat hanc vocem, quod inde patet, quia nominat languo-  
rem.

Iudicet ergo nunc pius Lector, an non liquidò demon-  
stratum sit, Augustinum in nostris castris contra ILLY-  
RICVM militare.

Eiusdem perspicuitatis est locus Augustini: lib. 2. de  
Nuptijs & Concupiscent. cap. 34. Obijciebat Julianus  
Augustino, quasi dixisset, per Diabolum aliquid substan-  
tiæ creatum in hominibus, repellit à se hanc calumniam  
Augustinus: & docet falso hoc tribui suæ doctrinæ: Ratio-  
nem adfert, quia vulnus quod infictum est generi huma-  
no per Satanam non sit substantia, sed vicium. Qui enim  
vulnerat non creat membra, sed vexat.

Et paulò post: Vulnus autem, quod pētī vocatur, ipsam vitam vulnerat, qua rectè viuebatur. Hoc vulnus autem tunc maius atq; altius infixit Diabolus, quām sunt ista hominibus nota peccata. Vides Lector Augustinum loqui de peccato originis, & hoc nominare vulnus: quæ vox est sudes in oculis Illyrici. Dicit enim August. Diabolum altè inflixisse hoc vulnus homini, ac plus quām decies hoc inculcat in suis libris. Et mox addit: Et tamen ipse languor, (sic etiā supra nominauit pētī originis) quo benè viuendi virtus periret, non est vtiq; natura, sed vicium: sicut certè mala in corpore valetudo non est vlla substantia vel natura, sed vicium. Cum Augustinus nominat pētī languorem, vulnus, morbum, ægritudinem, non de actuali, sed de peccato originis agi manifestissimum est: nam paulò post nominat concupiscentiam carnalem quæ repugnet legi mentis: hoc sanè est peccatum originis. Et paulò post in conclusione huius tractatus: Sunt ergo, inquit, & in parvulis peccata originalia. At disertè dicit hunc languorem spiritualem, id est, peccatum originis non esse naturam: declarat rem similitudine. Sicut mala valetudo in corpore nō est vlla substantia. Sic vult dicere: Peccatum originis non est vlla substantia. Quid posset Doctor Ecclesiæ disertissimus magis disertè dicere contra insanum Illyrici errorem?

Non addam hīc plura testimonia: non enim numero pugnamus, sed euidentia veritatis. Et qui tām manifestæ veritati nō acquiescit, is palām demonstrat quòd veritati bellum indixerit. Ideoq; vt <sup>των αποταμειών</sup> relinquendus est. Si quis autem plura testimonia Augustini desideret, is legat meum Antidotum contra Illyricum, part. 4.

Secundo loco me probaturum dixi, quòd teste Augustino omnis substantia, in quantum sit substantia, sit res bona. Ratio

na. Ratio manifestissima est, quia sit quiddam conditum à  
D E O. Sentic Illyricus vehementer se premi hac senten-  
tia. Ideò texit inuolucra, & puluerem excitare conatur, vt  
impedit visum Ecclesiæ. Augustinus ( inquit Flacius ) in-  
telligit per naturam totam substantiam, complectendo ma-  
teriam & formam, totumq; hominem : ego verò de forma  
animæ loquor. Ego verò te præstigiator hic ἐπαυτοφέρω  
deprehendo. Siue enim formam sive materiam accipias :  
simpliciter pronunciat Augustinus omnem substantiam esse  
rem bonam : & quæ potest esse forma substantialis sine ma-  
teria in qua? Adhæc non tantum materiam dicit bonam  
esse: sed etiam formam animæ substancialē in quoquis pec-  
catore esse rem bonā, & à Deo conditam. Sentic ne hic iugu-  
lari tuum sophisma mucrone veritatis? Audiamus Au-  
gustinum lib. 3. contra Julian. cap. 25. Confiteor igitur opus  
Dei esse qui nascitur, etiam trahens originale malum : quo-  
niam quod in illo Dei opus est, bonum est : quia bonum est  
opus Dei, etiam cum malo, non solum in paruulis, verū  
etiam in quibuslibet æstatibus, hoc est, substantia, forma, vi-  
ta, sensus, ratio, cæteraq; omnia bona, etiam in quocunq;  
homine malo.

Attende lector ad singulorum verborum eidemtiam  
& pondus. De originali peccato, cōtra Julianum disputans,  
dicit substancialē hominis trahentis originale pēccatum esse rem  
bonam, quia sit condita à Deo. Ergo substantia hominis  
non est ipsum peccatum originis. Ac vt effugia Illyrici ob-  
strueret, addit non se loqui tantum de materia, aut tantum  
in genere de toto homine: sed in specie de ipsa anima, de  
ipsa etiam forma animæ, de qua multum garrit Illyricus,  
& adfirmat ipsam animam, ipsam formam substancialē  
nimisimum animæ, esse rem bonam: etiam in quocunq;

peccatore, quia sit res condita à Deo. Vbi nunc elaberis Illyrice. Tota sanè Ecclesia videt te cōstrictum esse: vtinam & tu videre posses, & pœnitentiam ageres.

Altera elusio Illyrici est Augustinum loqui de inferiore gradu boni. Quid audio? Substantia in inferiore gradu est res bona: sed in superiore gradu est res mala & peccatum. Bone Deus quo absurditatum abripitur iste homo: & qui vnquam sic delirauit, ne Manichæus quidem quod ego sciam,

Tu verò mentiris Sophista. Augustinus non de inferiore, sed de superiore gradu bonorum loquitur: agit enim de ipsa ratione, qua nihil est admirabilius aut præstantius in rebus humanis. Agit de ipsa anima, de ipsa mente & voluntate, de qua tu garrire soles, rationem in summo suo gradu esse peccatum originis.

At Augustinus tibi in os contradicit, adfirmans omnem substantiam & in summo, & in infimo gradu, atq; etiam in medijs gradibus esse rem bonam. Ac de ratione hoc loco pronunciat. Forma, inquit, vita, sensus, ratio, est res bona, etiam in quocunq; peccatore. Vides ergo. Lector præstigias Illyrici protritas esse? & nihil solidi ipsum attulisse.

Testimonia autem quæ protuli immota consistunt, teste Augustio, omnem substantiam, in quantum substantia sit, esse rem bonam. Pauca hic repetamus.

Contra Secundinum Manichæum: cap. 15. Vna igitur eademq; res, id est, anima, in quantum substantia est, bona est: in quantum autem habet aquid mali, quod non est substantia, id est, consensionem istam, in tantum mala est.

Audis

Audis Lector animam ipsam in quantum sit substantia, esse rem bonam: ergo ipsa substantia animæ non est peccatum originis. Nemo enim dicere audebit etiamsi sit furiosissimus, quod peccatum originis sit res bona.

Quod dicit animam aliquid mali habere, non hoc dicit ut extenuet peccatum originis: Sed ut distinguat inter substantiam animæ, & malum in anima. Plurimum sanè mali habet anima, scilicet totum peccatum originis: Hoc autem mali quod habet anima, non est substantia, inquit Augustinus.

Non satis idoneo vocabulo nominauit consensionem peccatum originis: sed tamen intelligi potest eius mens: & vnde hæc ἀνυρολογία ei exciderit non est obscurum: nimirum quod hæserit in obiectione: nullum esse peccatum, nisi sit voluntarium: quod dictum Philosophicum reijsere debuisset, ad forum ciuile.

Addit autem Augustinus (aperi ergo oculos cordis, & intuere si potes) bonum aliquod esse quamlibet substantiam: & ideo malum esse defectum substantiæ, quia bonum est, esse substantiam.

Hic iam interrogo ILLYRICVM, potest ne pœnitentiæ originis vlo modo vel ratione dici bonū. Etsi subinde cumulat portenta, tamen spero eum hoc non ausurum. Cum enim peccatum originis cum voluntate DEI pugnet, & peccato originis nihil sit in mundo foedius, non potest sine summa impietate bonum dici.

At Augustinus pronunciat quamlibet substantiam, siue materiam, siue substantialem formam, siue corpus, siue Spiritum, siue totum, siue partem nomines,

quamlibet inquam substantiam pronunciat esse bonum ali-  
quod. Ergò peccatum originis, quod malum esse constat,  
teste Augustino nulla ratione dici potest substantia, ac ne  
substantialis quidem forma animæ: addit Augustinus. Ideò  
malum (nimis quodcunq; & in primis p̄st̄m originis)  
esse defectum substantiæ: quia bonum est esse substantiam.  
Vides lector quanto pondere premat & obruat Augustinus  
errorem Illyrici; malum, inquit, ut p̄st̄m originis, nō est sub-  
stantia, sed est defectus substantiæ, corruptio, cōfusio, amis-  
sio: quia substantiam esse, bonum est: malum autē bono est  
contrarium.

Item: Lib. 3. contra Julianum: cap. 23. Augustinus re-  
futans apertam Juliani calumniam, sic scribit: Imò defini-  
ui naturæ substantiam, cuius author est Deus, etiam in gran-  
dibus peccatoribus esse bonam, qui vtiq; propter peccata  
etiam sua propria mali sunt, quæ illi malo cum quo nati  
sunt, hoc est, peccato originali addiderunt. Et paulò post  
addit, quantum attinet ad nascentes, nullo modo naturæ  
substantia malum esset, cuius author est Deus, sed ea quæ in-  
sunt ei vicia, contra quæ tu quoq;, vt tuis verbis vtar, glo-  
riosa exeres certamina. Satis clarum est Augustini testi-  
monium: substantiam naturæ hominis definit esse bonam:  
addit rationem, quia eius author est Deus: sed p̄st̄m origi-  
cum quo nascuntur homines, definit esse malum. Quid pos-  
set magis explicatè cont. phantasiam Illyrici dici?

Expendamus & insignem locum qui est in 7. lib. Con-  
fessio. cap. 12. vbi disertissimè dicit omnem substantiam esse  
bonum aliquod, & ideò malum, & quidem p̄st̄m originis nō  
esse substantiam. Verba Augustini sunt: Malumq; illud  
quod quarebam vnde esset, non est substantia: quia si sub-  
stantia esset, bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis  
substan-

substantia, magnum utiq; bonum : aut substantia corruptibilis esset, quæ nisi bona esset, corrumpi non posset. Itaq; vi-di & manifestum est mihi, quia omnia bona tu fecisti, & prorsus nullæ substantiæ sunt, quas tu non fecisti. Hactenus Augustinus. Syllogismos nunc contexamus, Illyrico & omnibus Sophistis insolubiles.

Omnis substantia, teste Augustino, est res bona : p̄t̄m originis non est res bona, sed pessima. Ergo p̄t̄m originis, teste Augustino, nullo modo est substantia, nec formalis nec materialis. Etiamsi omnes ingenij neruos intendat Illyricus, tamen impossibile est illi, vt respondeat aliquid solidi ad hoc argumentum.

Vides etiam Lector meum fundamentum quod primo loco posui contra errorem Illyrici, hic totidem verbis ponи ab Augustino. Prorsus, inquit, nullæ sunt substantiæ quas tu non fecisti. Sic ergo argumentor. Omnis substantia sine omni restrictione aut est æterna, vt Deus, aut per filium condita. Sed peccatum originis non est factum nec conditum per filium, nec est æternum : Ergo p̄t̄m originis non est vlla substantia, nec materialis, nec formalis. Hoc vnum argumentum omnibus Sophistis, qui sunt in toto orbis insolubile ex fundamentis euertit totum cōmentum Illyrici de peccato substantiali. Considera etiam Lector quām constanter pronunciet Augustinus, itaq; vidi & manifestum est mihi, inquit. Multum ergo hac de re cogitauit, & scripturæ sacræ testimonia expendit, & sine omni dubitatione tandem statuit & definit : Omnem substantiam in quantum substantia est, esse rem bonam. Ergo iuxta Augustinum Peccatum originis nullo modo dici potest substantialis forma animæ.

Quid opus est plura adferre testimonia in re manifestis.

E sima.

sima. Et contra Pelagianos & contra Manichæos multoties  
repetit omnem substantiam & naturam in quantum sub-  
stantia sit, esse bonum aliquod. Inspiciat saltem Lector li-  
brum Augustini de Natura boni, contra Manichæos, in quo  
ferè decies repetit omnem naturam esse bonum aliquod, &  
ideo malum non esse naturam. Ut breuitati studeamus ad-  
scribam insignia quædam dicta.

De Natura Boni contra Manichæos. Cap. I.

Quia ergò bona omnia, siue magna siue parua, per  
quoslibet rerum gradus non possunt esse nisi à D E O: O-  
mnis autem natura, in quantum natura est, bonum est:  
omnis natura non potest esse nisi à summo & vero D E O:  
quia omnia etiam non summa bona, sed propinqua sum-  
mo bono, & rursus omnia etiam nouissima bona, quæ longè  
sunt à summo bono, non possunt esse nisi ab ipso summo  
bono. Omnis ergò Spiritus etiam mutabilis, & omne cor-  
pus à D E O, & hoc est omnis facta natura. Omnis quip-  
pe natura aut Spiritus aut corpus est. Spiritus incommu-  
tabilis D E V S est: Spiritus mutabilis facta natura est, sed  
corpore melior.

Obserua Lector singulas Augustini voces. Munit se  
Augustinus contra mendacium Illyrici, qui singit Augu-  
stinius de inferiore gradu boni locutum esse. Ideò di-  
cit se de omni genere bonorum loqui, de paruis & magnis,  
in quolibet gradu. Impudens igitur Sophista est Illyricus.  
Deinde adfirmat omnem naturam, in quantum natura est,  
esse rem bonam: pro eodem enim accipit naturam & sub-  
stantiam. Natura ergò humana non est peccatum originis:  
nam peccatum originis nullo modo potest dici bonum.  
Rursus munit se contra Sophistam Illyricum: Omnia, in-  
quit bona

quit, bona & vicina summo bono, & nouissima bona sunt  
à summo bono: Ergò non agit Augustinus de inferiore  
gradu boni. Amplius munit se Augustinus contra Sophi-  
stas, siue de spirituali natura siue de corporali agas. O-  
mnis natura & substantia est à D E O. Ergò & natura ani-  
mæ & rationis, quæ est Spiritus mutabilis corpore melior, à  
D E O facta & res bona est, & sine impietate peccatum  
originis dici non potest. An quidquam posset dici gra-  
uius contra Illyrici præstigias?

Et Cap. 3. ibidem. Proinde cum quæritur, vnde sit  
malum, prius quærendum est, quid sit malum: quod ni-  
hil aliud est quam corruptio, vel modi, vel speciei, vel or-  
dinis naturalis. Mala itaque natura dicitur, quæ corru-  
pta est: nam incorrupta vtique bona est. Sed etiam ipsa cor-  
rupta, in quantum natura est, bona est, in quantum corrupta  
est, mala est.

Augustinus in genere de quo quis malo hic agit, sco-  
pus enim libri est de natura boni & mali: Ergò & de pecca-  
to originis agit, nam hoc vnum est de foedissimis malis.  
Ac scopo sibi præfixo querit primùm quid sit malum, vt  
deinde facilior sit aditus ad quæstionem vnde sit malum.  
Et scopus controversiæ quam mouit Illyricus est, Quid sit  
malum originis.

Hic iam attende Lector ad verba Augustini, malum  
inquit, nihil aliud est quam corruptio vel modi, vel speciei, vel  
ordinis naturalis. At nemo sanus dixerit corruptionem esse  
substantiam: Ergò peccatum originis, utpote quod est cor-  
ruptio corporis & animæ, speciei & ordinis, non est sub-  
stantia. Præterea mala, inquit, natura dicitur, quæ corru-  
pta est: Nam incorrupta vtique bona est.

Sed ipsa etiam corrupta natura, in quantum natura est, bona est, in quantum corrupta est, mala est: Hæc sententia iugulum petit erroris Illyrici. Si enim corrupta natura hominis, in quantum natura est, res bona est, ut Augustinus docet, certè ipsa natura hominis licet corrupti non est ipsum pœnū originis. Nefas est enim peccatum originis dicere rem bonam.

Ibidem: cap. 17. Non ergò mala est, in quantum natura est, vlla natura, sed cuiq; naturæ non est malum nisi minori bono.

Quid posset, quæso te Lector, dici circumspetius? quid validius contra Illyrici errorem? Si nulla natura, in quantum natura est, mala est, teste Augustino, ergò natura hominis licet corrupti in quantū natura est, nō est peccatum originis. Si enim esset peccatum originis non solum res mala, sed etiam pessima esset. An Illyricus etiam si omnes nervos sui ingenij intendat, aliquid solidi possit adferre contra hæc tām euidentia testimonia, consideret & iudicet pius Lector.

Ibidem: Cap. 19. Omnis itaq; natura bona est, & omne bonum à Deo est, omnis ergò natura à Deo est.

Haud dubiè vides Lector quām pressè agat contra aduersarios Manichæos, & syllogismis eos refellat. Memineris autem Augustino in hac disputatione, Naturam & Substantiam unum & idem esse. Omne bonum, inquit, à Deo est: sed pœnū originis non est bonum: ergò non est à Deo. Item: Omnis natura est bonum aliquod; Peccatum originis non est bonum aliquod, sed res pessima. Ergò peccatum originis nec natura nec substantia est.

Haud dubiè sentit Illyricus in imo sensu cordis sui, se non tantū omni patrocinio & testimonio Augustini destitui,

stitui, verum etiam validissimè suam opinionem dictis Au-  
gustini refutari : sed premit altum corde dolorem, & inané  
reuocationis pudorem metuens præ furore mordet frenum :  
sed siue velit siue nolit, veritas liquidò demonstranda est  
Ecclesiæ Christi.

Plurima testimonia Augusti extant in hanc sententiam  
quod omnis substantia vel natura, in quantum substantia  
est, sit res bona & à Deo : atq[ue] ideo p[ro]ctm originis dici non  
possit: sed vt parcam lectori, non recitabo nunc plura. Qui  
enim tām euidentibus testimonij non patitur sibi satis fieri,  
is parum mouebitur, etiamsi mille testimonij obtundas eū.  
Iuxta Proverb. Salomo, cap. 27. Etiam si stultum contuderis  
in mortario pistillo, veluti ptisanam, tamen non recedit ab  
eo stultitia eius.

Tertio loco ex Augustino probandum suscepi quod  
iuxta doctrinam Ecclesiæ discrimen sit necessarium inter  
opus Dei, & opus Satanæ. Amplissimum hic orationis cam-  
pum haberemus, & declarandi res necessarias, & repellendi  
aduersariorum argumenta validissima. Sed quia in Anti-  
doto idem argumentum tractauimus, & in re manifesta &  
grata & valida est paucitas, operam dabo ne videar abuti  
lectoris patientia. Multis in locis portentum hoc obtrudit  
Illyricus Ecclesiæ Christi, quod in homine Iapso opus Dei  
ab opere Diaboli nec possit nec debeat distingui: locos ali-  
bi adsignauit, videlicet, 2. part. Clavis, fol. 494. Separa-  
tu mihi, inquit, idem à seipso. Defens. pag. 66. De occasio-  
ne vitandi. pag. 21. pag. 11. Confess. 76. & in alijs multis  
locis. Quo consilio autem hæc confundat Illyricus atten-  
dendum est. Inisciari non potest animam & rationem &  
cor esse opus & creaturam omnipotentis Dei. Simili ratio-  
ne nemo sano iudicio præditus negare potest Deum nulla

ratione esse authorem peccati. Animaduertit igitur discrimine obseruato, & probè munito inter opus DEI & opus Satanæ, quemuis facile depræhensurum substantiam animæ, rationis, & cordis sine impietate non posse dici peccatum originis.

Cujus enim hoc argumentum statim est obuium: Substantia animæ, rationis & cordis est opus DEI: At opus DEI discernendum est ab opere Diaboli, quod est peccatum originis. Ergò substantia animæ, rationis & cordis distinguenda est à peccato originis. Hoc euidens & validum argumentum, vt confundat ILLYRICVS, tollere conatur è medio necessarium discrimen inter opus DEI, & opus Satanæ: Idem, inquit, à seipso distingui non potest, quasi vnum & idem sit & opus DEI & opus Satanæ.

Hunc verò crassum errorem, quem ILLYRICVS à multis sæpè de eo admonitus mordicus tuetur, Augustinus in plurimis locis refellit, vnde manifestum est Augustinum ab errore Illyrici fuisse alienissimum. Posito enim discrimine inter opus DEI & opus Satanæ totum commentum Illyrici de substanciali peccato prorsus concidit.

Subijciamus ergò pauca quædam & omni obscuritate carentia testimonia Augustini: contra Julianum libro 3. cap. 21. Ex ista & cum ista nascitur homo bonum DEI opus, non sine malo quod trahit origo generationis, & satan gratia regenerationis. Ac per hoc rectè à me dictum est ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari; sicut adulteriorū & fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Bonum etim naturale dixi quod mecum ipse collaudas: Malum autem originale dixi, cuius motibus mecum repugnas,

repugnas, & cuius contra me laudibus pugnas. Contendebat Julianus falso adseri ab Augustino peccatum originis, & hoc vtebatur prætextu: qui accusando malum originis damnaretur ipse homo qui esset opus Dei.

Respondet Augustinus rectè à se adseri peccatum originis, & tamen non accusari naturam vel opus DEI, quia magnum discrimen sit inter opus Dei, quod est homo, & opus Satanae, quod est peccatum originis. Homo, inquit, qui nascitur cum concupiscentia, est bonum opus DEI: Ergo non est peccatum originis. Sed hoc bonum DEI opus non est sine malo quod trahit origo generationis.

Vides Lector Augustinum distinguere inter peccatum originis & opus DEI, quod est homo: Malum originale disertè hic nominat Augustinus, & defendit rectè a se dictum contra Julianum quod bonum nuptiarum, hoc est, homo opus DEI, quod nascitur ex coniugio, non sit accusandum vel damnandum originali malo. Deinde rursus distinguit inter bonum naturale quod laudandum esse dicit, quia sit opus DEI, & inter malum originale, contra quod pugnandum esse docet. Sequitur in Augustino: Hoc non est malum quod natus es, sed cum quo natus es, & contra quod spiritualiter dimicas, quia renatus es. Quod natus es pertinet ad DEI conditionem, parentum foecunditatem: contra quod dimicas, quia renatus es, pertinet ad prævaricationem, quam Diaboli astutia seminavit, vnde te CHRISTI gratia liberauit.

Audis Lector quanta diligentia distinguat Augustinus opus DEI ab opere Satanae. Quod natus es, inquit, quod homo es, substantiam habes, pertinet ad DEI conditionem, ideo malum non est: Cum quo natus es, scilicet

peccatum originis, contra quod dimicat, ad hominis prævaricationem & Satanæ astutiam pertinet, id est, est opus Satanæ & hominis. Et paulò post addit: Duxi in uno homine naturam bonam: vicium malum: quid posset dici dilucidius. Si natura, quia opus est Dei, est bona: vicium vero naturæ malum, quia est opus Satanæ. Ergo natura, ut opus Dei, & vicium seu peccatum originis, ut opus Satanæ, non sunt unum & idem ut delirat Illyricus.

In eodem cursu disputationis prolixè refellit calumniam Iuliani, qui obijciebat, Augustinum docere quod paruuli essent opus Diaboli, eò quod diceret eos trahere originale peccatum, & sic à se repellit calumniam, quod ingens discri-  
men sit inter opus Dei, & opus Satanæ. Cap. 24. Confiteor,  
inquit, opus Dei esse qui nascitur, etiam trahens originale  
malum: quoniam quod in illo Dei opus est, bonum est: quia  
bonum est opus Dei etiam cum malo, non solum in paruulis,  
verum etiam in quibuslibet ætatibus, hoc est, substantia,  
forma, vita, sensus, ratio, ceteraque omnia bona, etiam in quo-  
cunque homine malo. Et paulò post: Paruuli opus Diaboli  
substantialiter non sunt, sed opere Dei originaliter rei sunt.  
Obtestor te lector per tuam salutem, ut & pôdera & euidentiam verborum expendas: Quod in homine quantumuis  
malo, est opus Dei, inquit, hoc est bonum: declarat de qua  
re loquatur, videlicet de substantia, forma, (de forma nimis  
rum substantiali de qua nunc multum garrit Illyricus) vi-  
ta, sensu, ratione, & de cæteris bonis omnibus. Hæc omnia  
negat esse peccatum originis. Mentitur ergo Illyricus cum  
dicit substantialiam hominis esse peccatum originis. Menti-  
tur Illyricus cum dicit Forma animæ substantialis est pœnæ  
originis. Mentitur Illyricus cum dicit ratio hominis est  
peccatum originis. Nam, teste Augustino, hæc sunt opera  
Dei

Dei bona, quæ discernēda sunt à peccato originis opere Sa-  
tanæ malo. Mentitur etiam Illyricus cum dicit hominē cor-  
ruptum esse opus Diaboli; Paruuli enim non sunt opus Dia-  
boli substantialiter inquit Augustinus. Et in hoc loco age-  
re Augustinum de peccato originis omnes fateri cogentur  
qui saltē inspexerunt hunc scriptorem. Quæ igitur ista est  
insania & pertinacia Illyrici, quod tam perspicuis testimo-  
nijs nullum dat locum? Si non legit Illyricus Augustinum  
quod ego sanè colligo ex stolidissimis eius citationib; quid  
isto homine est impudentius? Quod coram Ecclesia dispu-  
tare audet de Augustini sententia, cum operam & studium  
in voluendo & expendendo Augustino non posuerit: Si ve-  
rò & legit & expendit Augustinum præsertim in locis quos  
indicaui ei & toti Ecclesiae, Necesse est eum horribilem cru-  
ciatum sentire in conscientia quod contra veritatem ma-  
nifestissimam impias opiniones adsingit Augustinō.

Pugnat Illyricus multis in locis præsertim epistola de-  
dicat: quæ præfixa est prolixæ confusione & 4. Et aliás pas-  
sim, Veterem hominem, cor lapideum, & animam ipsam, &  
rationem, esse opus & opificium Satanæ: Iam tu confer pie  
lector cum hoc portento Illyrici, grauissimam Augustini  
sententiam. Cont: Pelag: Hypog: lib: 5. Exufflatur ergò &  
increpatur in eis in Catholica Ecclesia opus Diaboli, non  
quod ipsi sunt, sed quod in ipsis est: Ipsi enim quod homines  
opus Dei sunt: Quod verò in ipsis est peccatum opus Diabo-  
li est, hoc est quod in illis odit Deus, non ipso opus suum.

Nihil indiget lector mea admonitione: Sententia  
enim est clarissima. Ingens discrimen facit Augustinus in-  
ter opus Dei, & opus Satanæ: Et de peccato originis loqui-  
tur quod in infantibus est, & quod vetus Ecclesia exufflare  
solet in Baptismo infantium. Errat ergo Illyricus quod di-  
cit in

cit in homine opus Dei ab opere Satane non posse discerni.  
Mentitur Illyricus quod dicit substantiam hominis siue tu-  
ma etialē siue fornicalem singas, esse ipsum peccatum originis.  
Nam forma substantialis in homine est opus Dei bonū, eti-  
am in corrupto homine. Totus sere secundū liber Augustini  
de nuptijs & concupiscentia, ad Valerium comitē scriptus,  
in hac disputatione cōsumitur, quod opus Dei bonū ut sub-  
stantia & natura hominis, ab opere Satane malo quod est pec-  
catum originis sit distinguendū. Nam Julianus Pelagianus  
sic calumniat⁹ erat verba Augustini, quasi doceret homines  
esse opus Diaboli, quia traherent malum originis. Respon-  
det Augustinus manifestam hanc esse calumniam, quia in-  
gens sit discriberet inter opus Dei quod est homo : Et inter  
peccatum originale quod est opus Satanae. Oro te lector ut  
saltem inspicias locum Augustini, lib:2. Cap:2. de concupis-  
centia & nuptijs : Et si tantum habes ocij totum librum per-  
curras. Sapissime inuenies de quo hic agimus. Verba Augu-  
stini sunt. Nam sicut peccatum siue hinc siue inde trahatur  
opus est Diaboli, sic homo siue hinc siue inde nascatur opus  
est Dei. De peccato originis agit & dicit illud esse opus Di-  
aboli siue ex adulterio siue ex coniugio trahatur. Hominem  
vero esse opus Dei, siue ex adulterio siue ex coniugio nasci-  
tur. Discernit ergo Augusti: Substantiam hominis à pecca-  
to originis. Sequitur, Hoc ergo quia dicimus quod anti-  
isti nouelli & peruersi dogmatis adscitores, qui nihil pet-  
cati esse in parvulis dicunt, quod lauacro regenerationis  
abluatur, tanq̄; damnemus nuptias, & tanq̄; opus Dei, hoc  
est, hominem qui ex illis nascitur Diaboli opus esse dica-  
mus, infideliter & imperite calumniatur. Negat Augustinus  
opus Dei & opus Diaboli vnu & idem esse: Illyricus adse-  
rit. lant.

rit. Iam tu cogita lector num Augustino grauissimo scrip-  
tori potius, an verò nouo Manicheo Illyrico velis adhi-  
bere fidem in negotio religionis. Apud me sanè & meritò  
multis modis potior est Augustini grauis authoritas, qu-  
àm Illyrici futilitas, qui in hac controuersia non constat si-  
bi. Pergit in disputatione Augustinus, & quia Julianus que-  
stiunculis suis exagitarat eum, num Deum vel Satanam di-  
ceret conditorem parvulorum? Disertè respondet Augusti-  
nus. Hominem ipsum esse opus Dei: Sed peccatum originis  
in parvulis esse opus Satanæ. Et hæc non esse confundenda.  
Verba illius sunt: scriptura dicit acquisiui hominem per  
Deum: Vnde constat opus Dei esse quem per Deum acquisi-  
tum scriptura diuina testatur: Quis hinc dubitat? Quis hoc  
neget maximè Catholicus Christianus? Opus Dei est homo,  
Sed carnis concupiscentia sine qua si peccatum non præ-  
cessisset tranquillæ voluntati obedientibus sicuti cætera  
membra genitalibus, seminaretur homo, non est ex patre,  
sed ex mundo est. Non tantum adserit, sed & scripturæ au-  
thoritate probat hominem esse opus Dei: Sed concupis-  
centiam carnis, cum qua seminatur homo, non esse à patre,  
sed ex mundo. Pius Augustinus credidit neminem fore qui  
de tam manifesta sententia dubitaturus vñq; esset. At Illy-  
ricus non tantum dubitat, sed palam eam oppugnat &  
contendit hominem corruptum esse opus Satanæ. Illyricus  
ergò iudicio Augustini non est Catholicus Christianus. Il-  
lyricus etiam adserit peccatum originis esse à Deo: Sed  
scriptura & Augustinus negant disertè concupiscentiam  
carnis esse à patre. Illyricus ergò contradicit Sacræ scriptu-  
ræ & piæ antiquitati & noua cudit portenta. Paulò post in-  
quit Augusti: De vicio hic agitur quo est depravata natura  
bona: Cuius vitij author est Diabolus: Non de naturæ ipsi-

us bonitate cuius author est Deus. Vides quām accuratē dis-  
cernatur vitium naturæ ab ipsa natura: Opus Dei ab opere  
Diaboli. Capit: 26. Ac per hoc mala quæ acciderunt natu-  
ræ, non discernendo ab ipsius bonitate naturæ non eam  
quia falsum est, ostendit sanatam, sed sanari non permittit  
egrotam. Reprehendit Augustinus Julianum quod pecca-  
tum originis ut accidens malum non distinxerit à bonitate  
naturæ. Eiusdem inscitiae & nos arguimus Illyricum. Pro-  
cedente deinde disputatione cum Julianus sophisma vrge-  
ret. Opus Diaboli per opus Dei transire non sinitur: Augu-  
stinus fortiter repellit & proterit hoc commentū & osten-  
dit peccatum originis ut opus Diaboli per hominem qui est  
opus Dei transire: Et nititur testimonio Pauli: Per vnum  
hominem peccatum intravit in mundum. Et tandem hanc  
disertissimam ponit sententiam Cap: 29. Sed etiam in par-  
uulo non vnum est tantum, id est natura in qua creatus est  
homo à Deo bono: Habet enim & vitium, quod per vnum  
in omnes homines pertransiit, sicut sapit Apostolus non si-  
cū desipit pelagius? Horum itaq; duorum quæ in paruulo  
esse diximus vnum adscribitur Deo: Alterum Diabolo. Vi-  
des quām distinctè loquatur Augustinus? Illyricus verò hęc  
foecissimè confundit contendens naturam hominis & pec-  
catum originis esse vnum & idem; & peccatum originis esse  
cum à Deo tum à Diabolo. Quin igitur noua Illyrici por-  
tentia toto pectore execramur, & illius confusam Theologi-  
am ab Ecclesia arceamus: Non addam hic plura testimonia  
cum res sit manifestissima. Si autem lector plura huius ge-  
neris requirit legat librum. 2. Augustini de peccato ori-  
ginali contra Pelagium; Cap: 33,36. & 40. Item librum pri-  
mum de nuptijs & concupiscentia: Vbi statum disputatio-  
nis ponit, quōd discernere velit opus Dei ab opere Diaboli.

His

His libris perle<sup>ct</sup>is expendas apud te Lector quām immanis  
& inaudita impudentia sit in Illyrico, qui audet adstruere  
Augustini doctrinam cum nouo suo dogmate de substanti-  
ali peccato originis congruere.

Quarto loco probandum nobis est quod Augustinus  
diserte docuerit peccatum originis esse accidens vicium:  
Quae phrasis est sudes in oculis Illyrici. Mirum est Illyri-  
cum sine sophistica transiisse vocem Accidentis. Certa, ac-  
commodata & perspicua vox est, quae opponitur substanci-  
tiae, siue de forma substantiali siue de materia agas. Nam &  
formae sunt accidentales: lucem metuit, ideo aliud diuerti-  
culum quaesivit: fingit Augustinū de peccatis actualibus, &  
de rebus venereis esse locutum, quoties dixit concupiscen-  
tiam carnis esse accidens vicium. Quod si ergo demonstra-  
uerimus expressè Augustinum non tantum de peccatis a-  
ctualibus, sed de ipso peccato originali disertè pronunciasse  
quod sit accidens vicium: Illyricus non tantum cecidit cau-  
sa, sed etiam coram Ecclesia de manifesta sycophantia con-  
victus erit. Age igitur proferamus testimonia quae nulla  
sophistica labefactari possunt. Augusti: Hypog: lib: 4.  
Quam Apostolus legem, hoc est, malam confuetudinem no-  
minat, & esse dicit in membris contrariam legi mentis, ne  
obediat legi Dei: Iam te interrogo argute sophista: Lex  
in membris repugnans legi mentis: (Verba Pauli Rom: 7. A-  
gnoscis) est ne peccatum actuale vel originale: Quid hesitas?  
Plagas metuis? Insidiæ nullæ hic sunt, campo aperto con-  
gredimur. Pauli testimonium ante oculos iacet, Iam tu pro-  
nuncia, lex in membris repugnans iuxta Apostolum legi  
mentis an non est peccatum originis? Velis nolis cogeris fa-  
teri: Et confusio tua te tacente multis in locis sic respondet.  
Iam ergo progrediamur in lectione Augusti: Audite ergo

inquit, quanta sit iniquitas huius mali, quidue hinc homo  
patiatur infirmus; Apostolo dicente & disputante inter ce-  
tera: Nam concupiscentiam, inquit, nesciebam nisi lex di-  
ceret: Non concupisces: Non dixit: Concupiscentiam non  
habebam: Sed nesciebam? Quid? Vtrum malum esset. Habe-  
bam igitur, sed tanq; naturale bonum esse credebam: Cum  
autem lex diceret: Non concupisces: Cognoui non naturale  
bonum, sed per peccatum accidens esse malum concupis-  
centiam. Hic sanè concidit Illyricus. Supra enim ipsius con-  
fessione audiuimus Augustinum de peccato originis loqui;  
Et hic pronunciat hanc concupiscentiam esse malum acci-  
dens. Annon igitur cecidit causa Illyricus? An non manife-  
stæ sycophantiæ conuictus est Illyricus? Dicere enim non  
potest se ignorasse hoc testimonium: Nam in pagellis ci-  
monstraueram: cur saltem non inspexit Augustinum? Ve-  
rum ille vtraq; manu claudit oculos ne lucem veritatis vi-  
deat. Videant ergo pij quibus Deus aperuit oculos. Sic eti-  
am scribit Augustinus.lib:6.Contra Iulia:Cap.3.

Non enim dici potest, præputium corpus est, hoc au-  
tem quod trahitur in origine vitium, & illo quidem abscis-  
so, vim eius tamen nequaq; tolli potuisse de semine: Hoc  
verò vitium quod non est corpus, sed accidens cum indul-  
gentia sit remissum, in semine non potuisse residere: Hoc in-  
quam, à quo quis callidissimo dici non potest, cum authorita-  
te diuina supereretur, qua ipsa pars corporis ob hoc iusta est  
amputari, vt hoc vitium purgaretur. Quod nisi esset in se-  
mine, ad parvulos, quibus circumcisione illa corporis ause-  
xendum est, nullatenus perueniret. Neque si minimè perue-  
nisset, indigeret nullatenus hac corporis circumcisione se-  
moueri. Cum autem parvulus proptium nullum habeat  
omnino peccatum, restat vt nullum eidem aliud auferatur  
nisi

nisi originale illo remedio, sine quo perit anima eius de po-  
pulo suo, quod sub iusto Deo non fieret, nisi esset culpa qua  
fieret.

Grauissimi ponderis est hoc testimonium Augustini: Ita-  
q; moneo Lectorem vt & scopum disputationis & grauita-  
tem verborum diligenter expendat. Disputabat Julianus  
Patrem non posse in prolem traijcere, quo ipse careret. Au-  
gustinus contra demonstrat generantem posse in prolem  
traijcere, quo ipse careat. Exemplo id docet. Quia circumci-  
sus parens transferat in prolem præputium quo ipse careat.  
Ac quia Paulus circumcisionem confert cum Baptismo,  
Augustinus per similitudinem præputium confert cum pec-  
cato originis. Et sic rationatur à simili: Etsi parens careat  
teatu peccati originis, potest tamen eum, quo ipse caret tra-  
ijcere in prolem. Hic ne cauillo elaboratur Julianus videlicet  
præputium esse corpus vel substantiam: Peccatum originis  
esse accidens idcirco non posse traijci: Anteuerit eum  
Augustinus & docet etiamsi peccatum originis sit accidens  
vicium, tamē recte adseri quod traijciatur à parente in pro-  
lem. An quis iuste hic potest maiorem desiderare lucem? Au-  
gustinum de peccato originis disputare manifestissimum  
est: Dicit enim de vicio quod trahitur in origine: Hoc an-  
non est peccatum originis? Dicit de vicio quod residet in se-  
mine: Hoc sane non est peccatum actuale. Sed originale: Di-  
cit patuulis auferri per circumcisionem peccatum origina-  
le: Augustinum adfirmare & aduersario suo Juliano conce-  
dere quod peccatum originis sit accidens manifestissimum  
est. Quia dicit, hoc vicium quod trahitur in origine, & quod  
paulò post vocat peccatum originale, non est corpus, sed est  
accidens. Quid ergo malore probatione est opus? Non repe-  
tam nunc alia Augustini testimonia, quæ testantur familia-  
ree ei

re ei fuisse vocare peccatum originis accidens, quæ mediocri diligentia collegi & pio Lectori indicaui in meo Antidoto parte: 4. Nec ego concedo Illyrico sophistæ quòd Augustinus quando dixit libidinem esse accidens malum, non de peccato originis sed tantum de re venerea & de peccato actuali, sit locutus. Has præstigias & fraudes prolixè refutarem si opus esset, & nisi studerem nunc breuitati: Libido & concupiscentia illa carnis, de qua disputat Augustinus contra Pelagianos pars est peccati originis, quod & Lutherus in genesin fatetur. Totū autem & partes in eodem sunt prædicamēto. Adserendo igitur libidinem esse accidens, adseruit & peccatum originis esse accidens. Ac quod non de actuali peccato, nec de motibus, sed de ipso morbo naturæ, & fonte prauorum motuum sit locutus, manifestissimum est ex multis dictis, atq; ex prolixis Augustini disputationibus, in quibus nunc peccatum originis, nunc concupiscentiam carnis, nunc legem in membris appellat. Cont: 2. Epistolas pelagianorum ad Bonifac: lib:2. Cap. 2. Recitat Manicheorum & Pelagianorum dogmata contraria: Et vtraq; damnat. Manichæi, inquit, carnis concupiscentiam non tanq; accidens vicium, sed tanq; naturam ab æternitate malam vituperant. Pelagiani eam tanq; nullum vicium, sed naturale sit bonum insuper laudat: Catholica vtrosq; redarguit Manichæis dicens non natura sed vicium est: Pelagianis dicens non à Patre sed ex mundo est: Ut eam velut malam valetudinem sanari vtriq; permittant, desinendo illi tanq; insanabilem credere, isti tanq; laudabilem prædicare. Rimas omnes obserua Lector ne sisyphus elabatur. Palam est quòd pronunciet Augustinus Manichæos in eo redargui à Catholica Ecclesia, quòd adserant carnis concupiscentiam esse non accidens vicium sed naturam: Quærendum est igitur quid

tur quid Augusti : per concupiscentiam carnis intellexerit.  
Doctis notissimum est Augustinum intelligere peccatum originis. Sed quia id inficiatur Illyricus conuincendus est. Augustinus opponit inter se Manichæorum & Pelagianos errorum errores : Haud dubiè de eadem re. Pelagiani, inquit, concupiscentiam carnis tanq; naturale bonum laudant : Quid? An Pelagiani laudabant peccata actualia? Nequaq; doce-ri id non potest. Sed ipsum originis morbum, ipsam inclina-  
tionem ad libidines & omnis generis peccata vocabant bo-  
num naturale, & negabant peccatum originis. Ergo & Ma-  
nichæi negabant peccatum originis esse accidens. Præterea Augusti : concupiscentiam, quam Catholica Ecclesia dicit esse vicium accidens, nominat malam valetudinem quæ sit sananda: An non igitur manifestum est Augustinum non de peccatis actualibus, sed de fonte eorum loqui, nimirum de peccato originis, & fateri quod sit accidens vicium: qui ve-  
rò id negant eos Catholica Ecclesia tanq; Manichæos re-  
darguit. Vindicauimus Dei beneficio piam Augustini sen-  
tentiam ab audaci mendacio & impudenti calunnia Illyri-  
ci, ac luce meridiana clarius demonstravimus Augustinum disertis verbis, & multis in locis, & quidem in certamine quod illi erat cum astuto sophista Iuliano, vbi oportebat eum circumspicere loqui & probè ponderare suas sententi-  
as, hæc quatuor adfirmare.

1. Quod peccatum originis non sit substantia ullo modo, nec materia nec forma substantialis.
2. Quod omnis substantia, in quantum est substantia, sit res bona & condita à Deo.
3. Quod in Ecclesia iuxta sacram scripturam distin-  
gui necessè sit inter opus Dei quod est homo, & anima, &  
ratio & corpus: Et inter opus Satanæ quod est peccatum originis.

G

4. Quod

4. Quod peccatum originis sit accidens vicium.  
Demonstrauimus etiam sophismata, effugia & ca-  
villationes Illyrici non habere locum. Idq; euicimus ex  
continua disputatione Augustini, & varijs circumstantijs,  
declarationibus, testimonij, quibus Augustinus vtitur. Iam  
si quis est qui hac tanta & tam clara luce sibi non patitur fa-  
tisfieri, sed audet adhuc contendere Augustinum probasse  
dogma Illyrici de substantiali peccato, & à nostra confessi-  
one in qua docemus peccatum originis esse accidens vici-  
um alienum fuisse, eum profectò necesse est furore & odio  
synceræ veritatis transuersum agi, & non solum pietate,  
mête, & cogitatione, sed etiam sensu communī desitui: nec  
pensi quidq; habere quid cum Deo tum Ecclesiæ probetur:  
sed hoc vnum tantum studere ut quoquo modo pessimam  
suam causam palliet, siue id cum contumelia Dei, & detri-  
mento suæ salutis, & tristi damno Ecclesiæ fiat, siue secus.  
Tam immanem autem furorem hominum, tu domine Iesu  
elementer reprime, & suscipe tuæ veritatis patrocinium, A-  
men.

Examinemus nunc etiam paululum cuiusmodi dicta Au-  
gustini Illyricus alleget ut aliquo saltē fugo velet suum  
errorem. Atq; ego sanè vehementer miratus sum hominem  
eo audacie processisse ut tentauerit saltē se Augustini pa-  
tronio tueri: Vehementer miror, inquam, Illyricum quam  
primum libertum aliquem Augustini in manus sumpsit non  
esse. Passim enim occurunt sententiæ, quæ ex diametro  
pugnant cum dogmate Illyrici. Sed haud dubiè fudit acu-  
mine sui ingenij, & solatur se multorum pastorum negli-  
gentia, quos scit non multum operæ ponere in legendō Au-  
gustino & veteribus scriptoribus: Reliquos etiam homines

omnes

omnes præ se pro fungis habet, quibus nullus insit sensus  
communis, quo mendacia & sophismata eius possint depre-  
hendere. verū heus tu nec tantę inscitę, nec negligentę vni-  
uersa Iesu Christi Ecclesia in qua habitat spiritus sanctus,  
ducens suos in omnem veritatem, & tribuens donum diju-  
dicandi spiritus abs te condemnari debebat? Sed videamus  
locos Augustini ab Illyrico citatos.

De Ciuitate DEI: lib: 15: Capit. 7. Hæc est enim  
salubris poenitentiæ medicina, & venia petatio non in-  
congrua, vt vbi ait, ad te enim conuersio eius, non subau-  
diatur erit, sed sit, præcipientis videlicet, non prædicen-  
tis modò. Tunc enim dominabitur quisq; peccato, si id  
sibi non defendendo præposuerit, sed poenitendo subiece-  
rit. Alioquin & illi seruiet dominanti, si patrocinium  
adhibuerit accidenti. Sed vt peccatum intelligatur con-  
cupiscentia ipsa carnalis, de qua dicit Apostolus: Caro  
concupiscit aduersus spiritum: in cuius carnis fructibus &  
inuidiam commemorat, qua utiq; Cain stimulabatur, &  
accendebarit in fratris exitium: benè subauditur erit, id  
est, ad te enim conuersio eius erit, & tu dominaberis illius:  
Cum enim commota fuerit pars ipsa carnalis, quam pec-  
catum appellat Apostolus vbi dicit: Non ego operor il-  
lud, sed quod habitat in me peccatum: quam partem ani-  
mi etiam philosophi dicunt esse vitiosam, non quæ men-  
tem debeat trahere, sed cui mens debeat imperare, eamq;  
ab illicitis operibus ratione cohibere: Cum ergò commo-  
ra fuerit ad aliquid perperam commitendum, si acquies-  
catur & obtemperetur dicenti Apostolo: Ne exhibeatis  
membra vestra arma iniquitatis peccato: ad mentem do-  
mita & vista conuertitur, vt subditæ ratio dominetur,

Hoc præcipit Deus huic, qui facibus inuidiæ inflamma-  
batur in fratrem, & quem debuerat imitari, cupiebat au-  
ferre. Quiesce, inquit, id est, manus à scelere contine. Non  
regnet peccatum in tuo mortali corpore ad obediendū de-  
siderijs eius, nec exhibeas membra tua iniquitatis arma pec-  
cato. Ad te enim conuersio eius, dum non adiuuatur re-  
laxando, sed quiescendo frenatur. Et tu dominaberis il-  
lius.

Ego nomine Ecclesiæ gratias ago Illyrico quod hunc  
insignem locum Augustini monstrauit Ecclesiæ, & nos An-  
tagonistas suos pluribus instruxit armis. Sed toto pectore  
fraudem eius & impudentiam detestor, quæ palam est ex  
huius loci citatione. Ille sic argumentatur. Augustinus ad-  
pellat partem carnalem, quod peccatum appellat Paulus in  
loco vbi agit de peccato originis. Ergo Augustinus sensit  
ipsam essentiam carnis esse peccatum originis. Respondeo.  
Augustinus hac phrasí (cum commota fuerit pars carnalis)  
non intelligit substantiam vel essentiam carnis, quamplu-  
rimis in locis fatetur esse rem bonam, conditam à Deo: sed  
intelligit concupiscentiam carnalem, ut paulò superius no-  
minauerat. Infidias struit Illyricus Manichæus Augsti-  
no in vocula (pars) Totum & partes sunt in eodem prædica-  
mento. Verum mens Augustini ex toto contextu satis est  
manifesta. De peccato enim originis loquitur, hoc certissi-  
mum est. Et hoc peccatum nominat concupiscentiam car-  
nalem. Deinde appellat partem carnalem: Sed quid? num  
partem substancialē carnis, veluti osla, epar, sanguinem,  
vel etiam animam? nequaquam. Sed accidentalem: videlicet  
malam illam qualitatem quæ habitet in homine & tenaci-  
simè ei adhæret. Perinde ac si tenebras in mente carnalem  
partem hominis nomines. Quod dicit Augustinus de con-  
cupiscen-

cupiscentia carnis loqui Apostolum cum dicit: Caro concupisicit aduersus spiritum, rectissimè pronunciat. Sed non dicit: Caro est peccatum originis. Vel caro quò ad substantiam est peccatum originis: quod contendit Illyricus. Apostolus simul complectitur subiectum & peccatum originis quod est in subiecto. Quæ tandem hæc est consequentia? Apostolus his verbis Caro concupiscit aduersus spiritum, loquitur de peccato originis: Ergò ipsa substantia carnis est peccatum originis?

Vis autem scire Lector mentem Augustini, quomodo hoc Pauli dictum intelligat, & quòd nequaq; sentiat ipsam substantiam carnis esse peccatum originis, tum legas declarationes ipsius Augusti: De natura & gratia. Cap: 53. Vbi prolixè disputans de hoc dicto Pauli: Gal: 5. aliquoties repetit, Non carnis substantiam, sed vitia carnalia eo accusari. Verba Augustini sunt. Non enim ille Paulus substantiam carnis accusat, cum dicit liberari se cupere de corpore mortis huius, cum etiam corporis sicut animæ natura Deo bono authori sit tribuenda: sed vtiq; de vitijs loquitur. Item, Cap: 56. Caro concupisicit aduersus spiritum: non de carnis substantia, sed de operibus substantiæ sentire necesse est. Item, lib: 6. Capit: ii. contra Julianum: prolixè tractans locum: Caro concupisicit aduersus spiritum: ponit hæc verba. Nemo nostrum substantiam corporis, nemo naturam carnis accusat: Et tamen contra concupiscentiam carnis damnabilem tot libris disputat. Manifesta igitur sophistica est quòd Illyricus fingit Augustino idem esse carnis substantiam & peccatum originis. Cum hanc calumniam multis in locis à se depellat. Atq; etiam in hoc ipso præcedenti capite libri 15. de ciuitate Dei, amplissima fraus Illyrici patet. Augustinum de peccato originis loqui nullum est dubium. Sic

autem inquit initio capit. 6. præcedentis, languor est quippe iste, id est, inobedientia, de qua in libro 14. differuimus, primæ inobedientiæ supplicium & ideo non natura, sed viçū est. Cum languorem in homine nominat inobedientiam non intelligit actuale peccatum, sed originale: languor enim non est actus. Et lib: 14. de peccato originis differuit. Et peccatum originis est supplicium primæ inobedientiæ, id est, lapsus Adæ. Hic languor, & hoc peccatum originis non est natura inquit sed vicium. Augustinus ergo Illyrico in os contradicit. Deinde in 7. Cap: paulò ante verba quæ Illyricus mūtilitate citauit, Augustinus peccatum originis vocat accidens. Alioquin, inquit, & illi peccato seruiet dominanti; si patrocinium adhibuerit accidenti. Perinde mihi est siue tu subaudias sit, vel, erit, de quo disputat Augustinus. Manifestum est Augustinum loqui de peccato originis, cui homo dominari debet, quod vocat concupiscentiam carnalem, & partem carnalem, & peccatum inhabitans iuxta Paulum Ro:7. Et disertè hoc ipsum peccatum vocat Accidens. Cum maiusculis literis pinxeris voculas quibus insidiaris, partem carnalem, partem animi, cur non saltē minimis literis pinxisti vocem accidentis? Adeone inuides lucem Ecclesiae? Ut vocem quæ sola potuisset dirimere controuersiam prorsus opprefferis silentio? voculam autem quæ ab ineptis philosophis est desumpta, & *ναταχρησιμως* posita, veluti alutam distenderis ut solis lumen auerteres? Hoc scilicet est fideliter erudire Ecclesiam. Quæ dementia est ex obscura & impropria phrasí, quod Augustinus concupiscentiam dixit partem carnalem, sicuti philosophi ignari doctrinæ Christi, concupiscentiam dixerunt partem animi, extruere velle nouum dogma in Ecclesia, quod peccatum originis sit substantia carnis humanæ, cum integrōs libros &

bros, & iusta volumina contra vesanum istum errorem Au-  
gustinus scripsit, ut supra satis euidenter demonstratum  
est.

Anteq; Illyricus plura citet testimonia, argumentari  
imò Lectorē fascinare incipit. Augustinus inquit & patres,  
etiamsi naturam hominis non expressè nominent pecca-  
tum (Hic expressam habes aduersarij confessionem piè Le-  
ctor) ne vllam speciem consensus cum Manichëis tūm grā-  
fantibus præbeant: Cur ergò tu Illyrice præbes speciem  
consensus cum insanis Manichæis? Imò veritas propter ca-  
lumnias hæreticorum non fuisset tacenda: Sed tu velut so-  
rex te prödis domestico iudicio. Etiamsi, inquit, naturam  
hominis non nominant peccatum, tamen ita passim eam ac-  
cusant, ut specifica propria, quæ soli peccato originali con-  
ueniunt, tribuant, cuiusmodi est quòd sit res exosa & aduer-  
sa Deo, quòd ob eam Deus irascatur. Hoc verò impudens  
est sophisma & mendacium. Imò patres & Augustinus in-  
primis passim distinguit inter naturam & peccatum origi-  
nis. Et disertè dicit propter vicium irasci Deum homini,  
non propter naturam. Hic tantum vnum citabo locum; li-  
cet plurimos habeam in promptu. De peccato originali:  
Cont: Pelag: & Celestium; lib: 2, Cap.40. Ac per hoc Deus  
hominem damnat propter vicium, quo natura dehonesta-  
tur, non propter naturam quæ vicio non aufertur. Vides  
Lector in manifesto mendacio depræhendi Illyricum. Sed  
sophismata eius nunc dimittamus: Augustini verba ab Illy-  
rico proleta ponderemus.

De Ciuitate Dei lib: 22. Capit: sic inquit August.  
Nam quod ad primam originem pertinet omnium morta-  
lium progeniem fuisse damnatam, hæc ipsa vita, si vita di-  
cenda est, tot & tantis malis plena testatur. Quid enim ali-

ud indicat horrenda quædam profunditas ignorantia, ex  
qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso  
quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore,  
dolore, timore non possit? Quid amor ipse tot rerum vana-  
rum atq; noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbatio-  
nes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordia, lites,  
bella, insidia, iracundia, inimicitia, fallacia, adulatio, fraus,  
furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, ho-  
mocidia, parricidia, crudelitas, saeuitia, nequitia, luxuria, pe-  
tulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria,  
incesta, & contra naturam vtriusq; sexus tot supra atq; im-  
mundicia, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia, hæreses,  
blasphemiæ, periuria, oppressiones innocentium, calumniæ,  
circumuentiones, præuaricationes, falsa testimonia, iniqua  
iudicia, violentia, latrocinia, & quicquid talium malorum  
in mentem non venit, & tamen de vita ista hominum non  
recedit? Verum hæc hominum sunt malorum, ab illa ta-  
men erroris & peruersi amoris radice venientia, cum qua  
omnis filius Adam nascitur. Nam quis ignorat cum quanta  
ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifesta est,  
& cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris  
incipit apparere, homo veniat in hanc vitam, ita vt si dimit-  
tatur viuere, vt velit, & facere, quicquid velit, in hæc faci-  
nora, & flagitia, quæ commemorauit, & quæ commemo-  
rate non potui, vel cuncta vel multa perueniat? Sed diuina gu-  
bernatione non omni modo deserente damnos, & Deo  
generis humani prohibitio & eruditio contra istas, cum  
quibus nascimur, tenebras vigilant, & contra hos impetus  
opponuntur, plenæ tamen interim laborum & dolorum.  
Quid enim sibi volunt multi modæ formidines, quæ cohi-  
bendis

bendis parvulorum vanitatibus adhibentur? Quid Pædagogi, quid magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa qua scriptura Sancta dicit, dilecti filij latera esse tundenda ne crescat indomitus, domariq; iam durus aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid agitur his poenis omnibus nisi ut debelletur imperitia, & prava cupiditas refrenetur, cum quibus malis in hoc seculo viuimus? Quid est enim, quod cum labore meminimus, sine labore obliuisci-mur, cum labore discimus, sine labore nescimus: Cum labore strenui, sine labore inertes sumus? Nonne hinc apparet in quid velut pondere suo proliuis & prona sit vitiosa natura, & quanta ope ut hinc liberetur indigeat?

Reposui sanè integrum locum ut ab Illyrico citatus fuit, ne rursus calumnia fatiget Ecclesiam. Sed per tuam te conscientiam oro cordate Lector putas ne sana mente prä-ditum fuisse Illyricum cum hunc locum suæ refutationi insererer? Qui sic? Quia nulla vocula, nulla syllaba, nulla li-tera hic est quæ probet hoc, quod Illyrico est probandum. Probare debet quod Augustinus docuerit peccatum originis non esse accidens vicium sed substantiæ. Ille oblitus hu-ius status controversiæ, cantillat nobis pulchrum carmen de miserijs humanæ naturæ. Cur non simili ratione cecinit nobis aliquot versus ex metamorphosi Ouidij, vel Eglogis Virgilij. Pari enim pondere & autoritate sic argumentari potest. Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi: Ergò peccatum originis non est Accidens: sylvestrem tenui mu-sam meditaris auena: Ergò peccatum originis est substan-tia. Quid? Tu ne me iocari putas Lector? Non iocor. Sed im-pudentiam Illyrici demonstro, qui sic illudere audet Eccle-siæ Christi, quasi nemini cor, nemini mens inesset. Si clami-tabit Illyricus. Annon Augustinus dicit quod ad malum

prona sit viciosa natura? Respondeo, non est quæstio an  
viciosa sit natura? Sed an ipsa natura sit peccatum origi-  
nis. Quid opus erat integrum paginam tam prolixa ora-  
tione implere quæ nihil ad rem facit, cum breves & plu-  
rimas sententias multò elegantiores de corrupta natura  
citare posuisset. De natura & gratia Cap: 53. Quid tantum  
de naturæ possibilitate præsumitur? Vulnerata, fauciata,  
vexata, perdita est. Item: de ciuit: Dei:lib:14. Capit:26.  
Quandoquidem vniuersa massa tanquam in vitiata radis-  
ce damnata est. An verò nos vñquam hoc negauimus  
aut in dubium vocauimus? Imò hoc ingenuè fatemur: Quid  
probas de quo nemo pius dubitat? Hoc te probare opos-  
tet quod Augustinus vñquam vel dixerit, vel scripserit,  
vel pinxerit, vel etiam somniauerit quod peccatum ori-  
ginis sit substantia, & quod negauerit peccatum originis  
esse accidens. Hoc hoc, Illyrice tibi erat probandum:  
Verum hic nemo est domi. Nisi forte Tityrus seipsum de-  
lectans tenui atena. Viues philosophus nunc nihil ad nos.  
Augustini enim testimonia nunc examinamus. Subiicit Il-  
lyricus alium locum, ex epistola Augusti:106.

Quid enim vberius & veracissima confessione ple-  
nius, quam illud est in quadam Epistolâ tua, vbi naturam  
nostram non mansisse, vt condita est, sed vitiata esse per-  
illum generis humani patrem, humiliter deplorasti di-  
cens: Pauper ego & dolens, qui adhuc terrenæ imaginis  
squalore concretus sum, & plus de primo quam de secun-  
do Adam carnis sensibus & terrenis actibus refero, quo-  
modo tibi audebo me pingere, cum coelestis imaginis in-  
ficiator prober corruptione terrena? Vtrinq; me conclu-  
dit pudor. Erubesco pingere quod sum, non audeo pin-  
gere

gere quod non sum : odi quod sum , & non sum quod amo .  
Sed quid misero mihi proderit odisse iniquitatem , & amar  
e virtutem , cum id potius agam quod odi , nec elaborem  
piger id potius agere quod amo , ipse discors & intestina  
bello distrahor dum spiritus aduersus carnem , caro ad  
uersus spiritum dimicat , & lex corporis lege peccati le  
gem mentis impugnat . Infelix ego qui in me venenatum  
inimice arboris gustum , nec crucis ligno digessi . Durat  
enim mihi illud per Adam virus paternum quo vniuersi  
tatem generis sui pater præuaricatus infecit . Et cætera ,  
quæ de hac miseria multa connectis ingemiscendo , expe  
ctans redemtionem corporis tui , & nondum re , sed spe sal  
uum te esse cognoscens .

Prolata Augustini vel potius Paulini , cuius confes  
siones repetit August : sententia attexit Illyricus . En au  
dis naturam ipsam hominis esse prauam ? Bone Deus quis  
hic est stupor mentis in Illyrico . Quid hoc ad causam  
facit ? Nemo nostrum negat naturam esse mutatam in pe  
ius , naturam esse viciatam , naturam totam non tantum  
malam , sed pessimam esse , quia tota corrupta , tota perdi  
ta est . Sed aliud est de quo coram Ecclesia dispuo con  
tra Illyricum : nimirum quod peccatum originis non sit  
substantia sed accidens vicium : hoc hoc debebat Illyricus  
probare ex Augustino saltem , si posset , siquidem sacræ  
scripturæ testimonio & patrocinio prorsus destituitur .

Quid vero dicam de 2. locis sequentibus , quos alle  
gat Illyricus ? Doleo hominis cæcitatem & amentiam . Nisi  
totus in reprobum sensum datus esset , non posset sic insani  
re . Probatur ex Augustino : Quod peccatum originis sit  
substantia & non accidens vicium , adducit dicta quæ adfir  
mât quod natura hominis sit prava & plena miserijs , & non

manserit sicut est condita. An non haec est manifesta phrenes? Deinde cum possit multò elegantiores & magis perspicuas sententias magno numero citare ex August: de corrupta natura , deligit omnium obscurissimas , & quæ minimam vim probationis habet. Augustinus enim in his dictis præfert sententias philosophorum Aristotelis & Ciceronis de miserijs naturæ humanæ , falsæ persuasioni Iuliani: non dicit Aristotelem & Ciceronem doctrinam de totali corruptione naturæ penitus cognouisse aut rectè explicasse. Quæ est igitur ista futilitas imò insania, quod bellæ sententiunculae proferuntur in medium , eorum philosophorum, qui doctrinam de corruptione naturæ non intellexerunt, cum significantissima & grauiissima dicta Augustini ex fontibus Israel hausta & definitè posita passim sint obvia. Et tamen in illis ipsis dictis citatis ab Antagonista, nulla syllaba est, quæ probet peccatum originis esse accidens; loca de verbo ad verbum adscribam, ut ipse Lector examinet num aliquid probationis in ipsis inuenire possit. Augustinus lib: 4, con: Iulianum Cap: 15.

Videntur autem non frustra Christianæ fidei propinquâsse, qui vitam istam fallaciæ miseriæq; plenissimam non opinati sunt nisi diuino iudicio contigisse, tribuentes vtiq; iusticiam conditoris, à quo factus est & administratur hic mundus. Quantò ergo te melius veritatiq; vicinius de hominum generatione senserunt, quos Cicero in extremis partibus Hortensi dialogi velut ipsa rerum evidentia datus compulsiusq; commemorat? Nam cum multa quæ videamus & gemimus, de hominum vanitate atq; infelicitate dixisset, ex quibus humanæ sitquit, vitæ erroribus & æruminis fit, vt interdum veteres illi, siue vates, siue in sacris initijsq; tradendis diuinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua sce-lera

lora suscepta in vita superiore, poenarum luendatum caussa  
natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur: verumq; sit  
illud quod est apud Aristotelē, simili nos affectos esse sup-  
plicio, atq; eos qui quondam, cum in prædotum Hetrusco-  
rum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur,  
quorum corpora viua cum mortuis, aduersa aduersis ac-  
commodata, quam aptissimè colligabantur: Sic nostros  
animos cum corporibus copulatos ut viuos cum mortuis  
esse coniunctos. Nonne qui ista senserunt, multò quam tu  
melius, graue iugum super filios Adam & Dei potentiam  
iusticiamq; viderunt, etiamsi gratiam, quæ per mediato-  
rem liberandis hominibus concessa est, non viderunt?

Ie. n Augustinus libro eodem cont: Iulia: Capite  
12. In libro tertio de republica idem Tullius hominem di-  
cit non vt à matre, sed vt à nouerca natura editum in vi-  
tam, corpore & nudo & fragili, & infirmo: animo autem  
anxio ad molestias, humili ad timores, prono ad libidines:  
in quo tamen inesset tanq; obrutus quidam diuinus ignis  
ingenij & mentis. Quid ad hæc dicis? Non hoc autor iste ma-  
le viuentium moribus dixit effectum, sed naturam potius  
accusauit. Rem vidit, causam nesciuit. Latebat enim eum,  
cur esset graue iugum super filios Adam à die exitus de  
ventre matris eorum, vsq; in diem sepulturæ in matrem  
omnium: quia sacris literis non eruditus, ignorabat origi-  
nale peccatum.

Credo Illyricum saltem chartam opplere voluisse, cum  
nihil inueniret solidi quod adferret. Attendant ergo pij  
& cordati Lectores. Miror ego sanè si Cicero per febrem  
aliquid somniauit de amissa imagine Dei in homine: Di-  
ctum Ciceronis, hominem non à matre, sed à nouerca natu-  
ra editum esse: adeò non meretur laudem in Ecclesia, vt

párum absit à blasphemia. Deus enim natura est qui edit hominem : hunc Deum beneficentissimum nouercam potius quam matrem adpellare fœda blasphemia est. Sed Illyricus in lectione authorum versatur , sicut gallus gal-linaceus apud AEsopum vertens sterquilinium putre gra-num precioso vnioni longè præfert. Nam præclaras & insigies sententias Augustini quæ cum preciosissima Mar-garita verbo Dei nimirum consentiunt negligit. Gran-dis enim prudentiæ est teste Hyeronimo aurum in luto le-gere : à qua Manichæus ille totus nunc alienus est. Muti-las vero & mancas & quodammodo impias philosopho-rum sententias admiratur.

Postq; aliquot prolixas posuit sententias Augustini quæ prorsus nihil ad causam faciunt, incipit rationibus col-ligere Augustinum ab ipsius errore Manichæo non fuisse alienum. At nos non ratiunculas desideramus, sed clara,di-serta, perspicua & omni ambiguitate carentia testimonia, quæ doceant Augustinum vel pinxit, vel scripsisse, vel docuisse, vel somniasse quid peccatum originis sit substan-tia, non sit accidens. Sed nullum proferre potest.

Bellas raciunculas videamus tamen.

Augustinus liberum arbitrium, quo nostram naturam & rationem notat, dicit ita immutatum esse, ut valeat tan-tum ad peccandum, & esse seruum: & hominem de suo esse Satanam: Et quid hinc sequitur Illyrice? Ergo peccatum originis est substantia. Consequentia scilicet firmissima à baculo ad angulum. Liberum arbitriū non significat ipsam substantiam animę vel rationis si propriè loqui velimus sed ipsam libertatem mentis & voluntatis qua Adam in crea-tione ornatus fuit: substantiam mentis & voluntatis reti-nuit Adam: Sed liberum arbitrium , id est , libertatem spiritua-

spiritualem prorsus amisit. Scriptores ut Bernhardus & alij  
sæpè confundunt substantiam animæ & eius libertatem:  
ac se se implicant. Accipit Augustinus alicubi liberum  
arbitrium pro ipsa mente, sed impropre. Aliud est mens &  
voluntas: aliud libertas in mente & voluntate. Sed valeant  
num ista, mens & voluntas mutata, & depravata est & tantū  
ad peccandum valet. Sed hinc non sequitur peccatum ori-  
ginis esse ipsam substantiam hominis: aliud enim est substan-  
tia hominis, aliud corruptio eius substantiae. Homo de suo  
est Satanæ, id est, malus, & aduersatur Deo & veritati &  
proprietate saluti. Sed hinc non sequitur, peccatum originis est  
substantia. Diuerissimæ propositiones sunt homo est malus,  
& homo est ipsa malitia. Posterior phrasis non admittitur  
nisi per tropum, ut tu quantus quantus es, nihil nisi sapi-  
entia es.

Quod dicit Augustinum easdem proprietates tribue-  
re peccato originis & carni, putidum est sophisma, & non ca-  
ret mendacio. Carnis specifica proprietas est quod sit substâ-  
tia: hanc proprietatem nunquam Augustinus tribuit pec-  
cato originis. Peccati originis specifica proprietas est quod  
sit à diabolo, quod sit accidens vitium. Hanc proprietatem  
nusquam tribuit Augustinus carni: præstigiæ sunt igitur  
quas offundit Illyricus. Semper tibi scopus disputationis  
sit in conspectu Lector, & nullo negocio deprehendes futu-  
ritatem Illyrici. Status controversiæ est an peccatum origi-  
nis sit substantia. Iam adde tu conclusionem argumentis Il-  
lyrici.

Caro est misera bestia,  
Ergo peccatum originis est substantia.  
Caro in malitia semper vult esse potens:  
Ergo peccatum originis est substantia.

Quis h̄ic non videt nulla consequentia h̄ec cohære-  
re? Sed hoc egregium est quod inquit. Neq; in eo situm est  
aliquid quod Augustinus essentiam hominis non expressè  
nominat peccatum. Hoc sane illustre exemplum est, grauiter  
à Lactantio dictum esse: Adeo ipsa veritas, cogente natura,  
etiam ab iniuitis pectoribus erumpit. Fatetur enim Illyri-  
cus etiam inuito pectori, quod Augustinus non dixerit Es-  
sentiam hominis esse peccatum. Quid ergò blateras sophi-  
sta? Cur turbas Ecclesiam his tuis chartis? Cur ergò contra  
conscientiam tuam adsingis Augustino, quæ fateris apud  
eum non reperiri? Cur clarissimi testimonij à me prolati  
opponis tu impudentem refutationem, reuocante te ab hoc  
nefario conatu tua conscientia? Hanc ergò aduersarij con-  
fessionem obserua pie Lector. Quid enim audio nihil in eo  
situm est? Imò totum pondus disputationis huius in eō con-  
sistit: Num Augustinus docuerit & scripserit peccatum ori-  
ginis esse substantiam vel essentiam, an vero accidens.

Causæ illi fuerunt inquit Illyricus: Ne præberet im-  
peritis speciem consensus cum Manichæis: Rectè. Cur ergò tu  
præbes speciem consensus cum Manichæis? An tibi plus li-  
cet in Ecclesiam quam Augustino? An nullum crimen est  
consentire Manichæis in manifesto errore, & Manichæis-  
mo scelerato & impio turbare Ecclesiam filij Dei?

Quod dicit Augustinum vocabulum peccati more  
vulgi, non iuxta scripturam usurpare, calumnia est, quam  
supra refutauimus,

Apertissimum mendacium est quod Augustinus  
vnq; docuerit, peccatum originis esse ipsam carnem homi-  
nis. Imò disertè in plurimis locis docuit carnem esse à Deo,  
& rem bonam: sed peccatum esse à Diabolo & rem malam:  
supra satis multa posui testimonia. Illyricus verò ne gry-  
quidem

quidem attulit ad probandum suum mendacium. Philip-  
pus recte & eruditè admonuit Augustinum non satis accu-  
rate distinxisse inter vim generandi inditam homini à  
Deo, & concupiscentiam quæ est confusio & ἀταξία. Et si  
hac ætate viueret Augustinus gratias ageret Philippo pro  
monstrata hac necessaria distinctione. Cuius necessitatem  
vidit Augustinus, sed turbatus sophismatibus Iuliani non  
semper eam perspicuè posuit. Sed Illyrico tenebris, caligi-  
ne & confusione est opus, ut errorem occultet: Idcirco di-  
stinctionem hanc allatrat. Et vocat elusionem, & opponit  
obstacula. Lex, inquit, non tantum ἀταξία in abstracto sed  
totam concupiscentiam habet pro peccato. Quia non dicit  
ne inordinate concupueris sed simpliciter, Non concupis-  
centia. Respondeo lex non damnat substantiam carnis in  
quantum substantia est, neq; vim generandi à Deo inditam  
homini; Deus enim non damnat suum opus. Sed lex dam-  
nat concupiscentiam carnis, ut opus Diaboli: quæ concupis-  
centia non est ipsa caro, nec est vis generandi insita à Deo,  
sed est ἀταξία, defectus, prauitas, vicium & vulnus inflictum  
naturæ per Satanam. Necessaria est igitur Philippi distin-  
ctio: & execranda est confusio Illyrici. Alterum obstacu-  
lum fuit, inquit: quòd vistatum fuit peccatum originis de-  
finire concupiscentiam: Hoc tu obserua pie Lector. Hic  
enim redarguit sese Illyricus. Quando ego citavi testimo-  
nia Augustini in quibus expressè dicitur concupiscentiam  
carnis esse accidens; Illyricus in promptu habet sophisma:  
hoc de re venerea & peccato actuali esse intelligendum. Hic  
verò oblitus sui sophismatis fatetur familiare fuisse Augu-  
stino, peccatum originis definire concupiscentiam. Habe-  
mus ergò expressam aduersarij confessionem. Tertium in-  
quit impedimentum fuit quòd Augustino res venerea &

vis generandi in coniugio visa est peccatum: sicut & Lutherus fatetur. Respondeo, Illyricus petulantet & Augustino & Lathero iniuriam facit. Etsi enim Augustinus alicubi non sat accuratè distinguat inter vim generationis & concupiscentiam carnis, & dicat ex concupiscentia carnis nasci hominem, qua dere eruditè admonuit Philippus Ecclesiæ: tamen passim urget, inculcat & demonstrat naturam à Deo inditam à vicio naturæ quod accessit nimis concupiscentia distinguendam esse. Ut in meo antidoto par: 4. copiose & euidenter est demonstratum. Lutherus in genesim sèpè & disertissimis verbis docet opus Dei sanctissimum & purissimum in generatione à sordibus libidinis & peccati originis distinguendum esse. Inspiciat Lector comment: in gen: Capite 21: pag: 161: fac: 2. & partem 4. mei antidoti ubi multa testimonia Lutheri collegi. Ad dicta verò Lutheri quæ à nouis Manichæis contorquétur respödi & in meo antidoto: & in Germanico scripto, in quo Lutheri testimonia contra Spangebergium collegi. Quarto, inquit Illyricus, Augustinus disputat de massa perditionis: quid verò hinc sequitur? Tu ne sic colligis. Massa generis humani tota est perdita: Ergò peccatum originis est substantia? Lector facile videt scapas dissolutas. Multoties admonui diuersissimas esse phrases. Humana natura tota est corrupta: & humana natura est ipsum peccatum originis. Ut illam sententiam amplectimur vepote fundatam in verbo Dei: Ita hanc detestamur ut delirium Manichæorum.

Quinto repetit Augustinum peccatum originis passim vocare concupiscentiam: Hoc verissimum est: sed ausertum mendacium tuum quod adsuis. Concupiscentia enim non est ipsa nostra natura: sed teste Augustino est vicium, morbus, vulnus naturæ quod ei inflxit Satanus. Aut Illyrico

lyrico plane ignotus est Augustinus: Aut extrema in isto homine impudentia est, quod audet persuadere Ecclesiam Augustinum docuisse peccatum originis esse ipsam naturam hominis. Cum Augustinus saepè integra volumina scripsisset ut distingueret inter naturam hominis & peccatum originis. Apologia etiam iniuriam facit Illyricus. Sed de talibus cauillationibus satis in antidoto est dictum: Nunc in vindicando Augustino opera locanda est,

De defectu boni, & positione mali supra est dictum. Calumniosè allegat Illyricus meam analysis: non enim patrocinatur ipsis figmento: sed euertit illud. Videat Lector 3. partem Antidot. Falso dicit Illyricus necessariò ponit nouam formam substantialem, cum adseritur defectus & malum posituum: Nam defectus non significat substantiam, sed donorū parentiam & amissionem in substantia: Et malum posituum non significat substantialem formam, sed inhärentem prauitatem, maliciam, confusionem. Quæ non sunt nihil negatiuè. Nouum desiramentum est Illyrici ignotum toti antiquitati, commentum de forma substanciali quæ sit peccatum originis.

Sextò, huiusmodi contexit argumentum Illyricus.

Substantiæ bonæ non commutantur in accidentiis, sed in substantias malas.

Sed substantiæ bonæ commutatae sunt in malum, id est, in peccatum: teste Augustino qui dicit passim mala opera esse ex bonis.

Ergo & malum seu peccatum est substantia.

Respond: ad minorem. Illyricus aut impudentem agit sophistam allegando Augustinum: aut vix per transen-  
tiam eum intuitus est.

In plurimis locis & contra Pelagianos & contra Manichaeos disputans docet Augustinus: mala orta esse ex bonis. Ut peccatum ex voluntate Ad: Bonas substantias posse commutari in malas. Sed quid? Num vñq; per febrim somniauit Augustinus substantias bonas commutatas esse in malum, id est, peccatum originis? Delirium hoc est & figmentum Illyrici: quod ignorauit Augustinus. Mala orta sunt ex bonis commutabilibus: nimur ut defectus & confusiones, & accidentia à causa efficiente commutabili. Si Adam fuisset incommutabiliter bonus, nō potuisset peccare: Sed quia ex nihilo est factus, commutabilis fuit. Idcirco licet bonus fuerit, & bona eius voluntas: tamen mutatus commisit peccatum, & author mali extitit. Hoc est quod vrget Augustinus. Sed inquit Illyricus substantiae sunt commutatae & corruptae: ita vt substantiae bona antea, nunc sint mala: fateor, sed substantiae non sunt commutatae in ipsum malum vel in ipsum peccatum originis vt tu deliras. Nam subiectum in quo est facta mutatio & corruptio non est ipsa corruptio aut malum, aut peccatum quod accidit subiecto & ei nunc inhæret. Fruolum ergo & putidum est Illyrici sophisma ex contorsione verborum Augustini, cuius mentem aut non videt Illyricus aut præ odio veritatis non vult videre. Mala orta sunt ex commutatione substantiarum: non quod substantiae mutatae sint in ipsum malum seu peccatum: per deliram metamorphosin Illyrici: Sed quod substantiae ex creatione bona, accidente peccato & corruptione, factae sint mala.

Diversissima autem sunt mala seu corrupta substantia, & malum seu peccatum. Hoc enim est accidens in subiecto: Illud verò subiectum cui triste accidens inhæret.

Rursus aliud est sophisma, quod dicit naturam mali posse

posse à Deo mutari in bonum. Locus est. lib: i: August: cont:  
Iulia: Cap: 2. In examine verborum Basiliij. Suntq; hæc verba  
Augustini: Sed quòd ait facile posse malum à voluntate,  
vel à substantia separari , non humanæ facile est voluntati,  
sed misericordiax Dei : Quod aduersus Manichæos vtiq;  
sufficit , qui putant esse impossible mutari in bonum natu-  
ram malij: Ideò non ait Basilius ipsam voluntatem hominis,  
sive substantiam, sive naturam, malum à se posse facile sepa-  
rare: sed ab ea facile posse separari: sic verba sua librans, vt  
& Manichæos contra quos agebat refelleret & contra diui-  
nam gratiam humanam superbiam non extolleret. Ille  
quippè omnipotens cui secundum Euangelium facile est,  
quod hominibus impossibile est malum quòd nobis accidit  
vel ex primi hominis , vel ex nostra insuper voluntate, ita  
suæ gratiæ largitate consumet , vt subiecta substantia vo-  
luntati , quemadmodum commemorasti dixisse Basilium,  
munda possit per omnia possideri , sic omnino vt nullius  
mali vel signa remaneant: hactenus Augustinus. Iam te ob-  
testor pie Lector per tuam salutem vt diligenter attendas  
ad verba Augustini , & probè obserues detestandam sophi-  
sticen Illyrici , qui ex vna vocula ambiguè posita conatur  
portentosum dogma adstringere Augustino, cum Augusti-  
nus totis voluminibus hunc ipsum portentosum errorem  
impugnet & refelleret. Quòd enim Augustinus dicit Mani-  
chæos putasse quòd impossibile sit mutari in bonum natu-  
ram malij: hoc Illyricus egregius interpres & Sa:scriptu-  
ræ & patrum, sic enarrat, sc̄ si sensisset Augustinus mali, hoc  
est, peccati originis esse quandā naturam. Et naturam pec-  
cati originis posse mutari in bonum, id est, in iustitiam ori-  
ginalē. Quis verò pius non detestetur tantam proteruiam  
& libidinem sophisticandi? Reprimat Deus tantam audaci-

am fingendi portentosa dogmata, & contorquendi sancto-  
rum patrum dicta. Hæc ne est gratitudo tua Illyrice quam  
exhibes venerando Ecclesiæ doctori Augustino, qui precla-  
rè meritus est de Ecclesia & nobis omnibus quòd sacrilega  
audacia, & quantum ego indicare possum contra conscienc-  
iam tuam & immania dogmata illi adsingis, & ipsius dicta  
sceleratè contorques & ad fucandum tuum delirium ijs  
abuteris? Tu verò mi Lector vide qualis gurges & vorago  
sophismatum sit Illyricus. Augustinus dixit non esse im-  
possibile ut natura mali, scilicet hominis, mutetur in bo-  
num: Hoc Illyricus sic interpretatur: naturam mali, id est,  
peccati originis posse mutari in bonum. In Augustino voca-  
bulum(mali) ponitur adiectiuè suppresso substantiuo, quod  
etiam in scriptura usitatum est. Ut Matth: 21. malos male  
perdet. Sed Illyricus ex adiectiuo facit substantiuum, & pro  
malo homine ponit malum, id est, peccatum originis. Quis  
autem adeò hebeti est ingenio ut non deprehendat hanc  
fraudulentam & impudentem contorsionem verborum &  
sententiarum? Quid tandem sani, solidi & firmi habituri su-  
mus in vniuersa Theologia, si huic sycophantæ & derisorii  
religionis licebit ita quiduis ex quolibet fingere & sculpe-  
re: Et postq; ipse errorum portenta in insano cerebro suo  
fabricauit, postea ea sanctorum patrum violenter contortis  
dictis colorare ea licebit? Sed fortassis quæret aliquis  
vnde constet Augustinum in citatis verbis de mutatione  
mali hominis, & non de mutatione peccati in iustitiam, vt  
fingit Illyricus, loqui. Respondeo. Cordatus Lector Au-  
gustini etiam sine mea commonefactione id depræhen-  
dere potest. Rudioribus autem & in Augustino minus ver-  
tis evidentia huius rei argumenta monstrabo.

Primum ipse Augustinus in plurimis locis docet &  
solidis

solidis argumentis probat nullam esse naturam mali: Sed omnem naturam in quantum natura sit bonam esse. Inspicat Lector lib: de natura boni contra Manichæos: Item libros contra faustum, Item contra secundinum, & contra Iulianum. Passim occurunt perspicua testimonia. Ut: libro cont: epistolam quam vocant fundamenti. Capi: 35. Quod si non inuenitur in rebus malum nisi corruptio: & corruptio non est natura: nulla utiq: natura malum est. Item de civitate Dei lib: 11: Cap: 9. Mali enim nulla natura est: Sed amissio boni, mali nomen accepit. Hanc doctrinam cum Augustinus constanter usserit & defenderit in certamine contra Manichæos, quis audebit dicere Augustinum oblitum sui dogmatis in loco supra citato concessisse esse aliquam naturam mali? Si familiariter notus est Augustinus Illyrico, ut certè hominibus doctis familiariter notus esse debet tam excellens scriptor, quam immane scelus commisit Illyricus, quod hanc vulgatissimam sententiam Augustini nefariè dissimulauit & contrariam illi adfinxit. Si Illyricus in Augustino versatur ut in ignota regione, quod mihi valde fit verisimile, non verbis refellendus, sed verberibus coercendus est, ne amplius contaminet sanctos & de Ecclesia præclarè meritos patres. Secundo, ipsa Ecclesiæ doctrina quæ & probè cognita fuit Augustino, & singulari fide ab eo tractata est, admonere Lectorem potest, Augustinū ne somniasse quidem naturam mali, hoc est, peccati posse conuerti in bonum. Quis enim vñq: ex omnib: Prophetis & Apostolis docuit malum, id est, peccatum originis, posse mutari in bonum, id est, iniustiam? An non Deus in Iesaiæ inquit. Cap: 43. Ego Ego sum qui deleo peccata tua. Et Michæas inquit. Cap: 7. peccata nostra deleti & in profundum maris abiici. Homo mutatur, substantia animæ & corporis mutatur.

tur : sed ipsum malum, id est, peccatum originis non mutatur in bonum ; filius Dei non venit ut transformet, & in vitam æternam transponat, sed ut destruat, deleat, aboleat, abiciat opera Satanae, ut est peccatum originis. Sicuti præclarè dicit Augustinus, lib. 2. cont. Julianum : citans Ambrosij testimonium de peccato originis: Non à nobis hęc yicia separata alicubi alibi erunt : sed in nobis sanata nusquam erunt. Audis lector malum non mutabitur, sed prorsus delebitur ut nusquam sit. Fanaticus igitur error est, quod singit Illyricus, mali, id est, peccati naturam posse mutari in bonum, id est, in iustitiam.

Tertiò ex disputatione quam habuit Basilius cum Manichæis patet sententia verborum Augustini : Manichæi contendebant alios homines esse χοίκος καὶ ὑλικός id est, terrenos, profectos à gente tenebrarum : alios esse πνευματικούς, id est, spirituales profectos à luce. Et Choicos singebant non posse conuerti. Pneumaticos non posse perire, qualiacunq; patrarent scelera. Ut ex Epiphanio & Theodoreto manifestum est. Huic sacrilego errori opposuit se Basilius, quem testem producit Augustinus. Et rectè ostendit naturam mali scilicet hominis posse conuerti in bonum: Id est, peccatorem posse ad Deum conuerti: quia peccatum non sit quiddam substantiale, sed accidens & separabile vicium, quod diuina misericordia & potentia facile possit à substantia animæ separari. Ex hac igitur circumstantia disputationis liquidò patet Augustinum producentem & dependentem testimonium Basiliū contra Manichæos non dixisse naturam mali, id est, peccati originis, sed naturam mali scilicet hominis, quem Manichæi χόρη nominabant posse mutari in bonum: Id est, peccatorem & terrenum hominem posse conuerti ad Deum & separari extenso & separato & delecto peccato.

Quartò

Quarto, ipse etiam Augustinus in contextu orationis liquidò demonstrat se de malo homine, non de peccato originis locutum esse cum dixit naturam mali posse mutari in bonum: Dicit enim malū, hoc est, peccatum à substantia animæ & à voluntate posse separari: Quod si malum separatur ab hominis substantia: ergo non mutatur malum, id est, peccatum in bonum, sed malus homo mutatur in bonum, peccator in iustum, abolito & deleto peccato. Illyricus furenter contendit ipsam substantiam animæ esse peccatum originis, & peccatum originis non posse separari ab anima, sed mutatum iri in justitiam: negat Illyricus peccatum originis esse accidens vicium, Singula portenta Illyrici Augustinus in hoc ipso loco refellit. Basilius inquit rectè dixit malum facile posse à substantia separari: Ergo substantia ipsa non est peccatum originis: Aliquoties repetit Augustinus malum posse separari à voluntate & à substantia hominis: Non est ergo inseparabile malum. Item, malum inquit quod nobis accedit, Gratiæ suæ largitate consuemer. Ergo testibus Augustino & Basilio peccatum originis est accidens etiam si rumpat sese Illyricus. Adhæc Malum, inquit Augustinus, quod nobis accedit vel ex primi hominis, vel ex nostra voluntate, ita suæ gratiæ largitate consumetur ut subiecta substâlia munda possit possideri sic omnino ut nullius mali signa remaneant. Si consumetur peccatum originis, ut nulla eius signa remaneant, substantia autem hominis, in qua hæsit peccatum ut vulnus & labes, munda erit: Ergo mali natura, id est, peccatum originis non mutabitur in bonum, ut desipit Illyricus, sed prorsus mergetur in profundum maris & projicitur post tergum Dei, ut omnis eius memoria aboleatur. Obtestor te mi Lector an non ad stuporem usq; miraris audaciam, impudentiam & furorem

Illyrici, qui natus alioquin, destitutus omnibus armis veritatis, tantum sophistica veluti orci galea tectus non dubitauit impetum sacere in illum ipsum locum Augustini, in quo conferta atq; stipata acies fortissimorum militum consistit, qui omnes intenti sunt & arma sua validissima expediuerunt ut impium, blasphemum, & sacrilegum errorem Illyrici de substantiali peccato originis prosternant, conficiant, iugulent? Discat ergo posthae circumspectius citare Augustinum: Et ne habeat reliquos ciues Ecclesiae pro meritis fungis: Sed sciat esse in Ecclesia Christi, qui vero studio inquirant veritatem, & auxilio Spiritus sancti inter mendacium & veritatem, iuxta regulam verbi divini norunt discernere: Et quod Augustinus scriptor excellentissimus non procul ignotus sit piis pastoribus, & hominibus studiosis. De fætissimo portento & errore monstroso, quod per regenerationem natura mali, id est, peccati, possit mutari à Deo in bonum, dictum est in antidoto parte 6; in errore Illyrici.

16. Deus non regenerat peccatum originis: Sed hominem regenerat sua diuina potentia. Nisi quis renatus fuerit, inquit Christus Ioh 3. ex aqua & spiritu, regnum Dei videire non potest. Execrentur igitur omnes pij detestandum errorum Illyrici.

Parum abest quin sibi decernat triumphum Illyricus, postq; perfidius & ferociter contorsit aliquas Augustini sententias. Et vociferatur Augustinum aliosq; patres, quos tamen non citauit: nos vero iuuante Deo breui exhibebimus Ecclesiæ Iesu Christi aliorum quoq; probatorum Patrum tam Græcorum quam Latinorum de præsenti controversia testimonia perspicua contra delirium Illyrici: non modo non esse contra ipsius dogma, sed illud multis pliciter tueri & confirmare. Si quis furiosi hominis inani

claimori

clamori sine omni examine fidem habet, n̄ æ ille parum ab-  
est à furore. Itaq; tu sancta Iesu Christi Ecclesia in qua ha-  
bitat spiritus intelligentiae & prudentiae, spiritus sapientiae  
& timoris domini non adplaudas statim sine omni confide-  
ratione, sed examina, expende, pondera, & diligenter consi-  
dera singula testimonja Augustini, & à me & ab Illyrico in  
medium prolata: nec tantum vnam aut alteram voculam  
intuere, sed considera scopum disputationis, quale fuerit  
certamen Augustino & cum Manichæis & cum Pelagianis.  
Quomodo vtrinq; retuderit fanaticos homines & erudie-  
rit Ecclesiam ut incederet regia via. Attende seriem dispu-  
tationis, argumenta probationum, examen testimoniorum  
scripturæ, refutationem sophismatum, & quæ sententiæ &  
phrases familiares sint Augustino: Ita sine omni dubitatio-  
ne & natuam Augustini sententiam depræhendes, &  
ardenti zelo execraberis detestandam sophisti.

cen & immanem audaciam Illyrici in  
contorquendis dictis Augustini, &  
adstringendis portentosis opi-  
nionibus venerando  
scriptori.



## II.

### SECVNDA PARS.

## DE MANICHAEISMO MATHIAE FLACII IL. LYRICI

**A**nte annos sex cum adhuc Neoburgi ad Danubium agerem, & Illyricus multis suis epistolis me fatigaret, ut ipsius tractatus & libellos de peccato originis legerem, & meum iudicium illi impertirem, atq; etiam dominus Nicolaus Gallus multum per literas mecum conferret de hac praesenti controversia, s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> sophismatum Illyrici solutiones a me peteret, & diserte manu sua testaretur se improbat<sup>e</sup> nouum dogma Illyrici, aliquot epistolis, quatum exemplaria apud me habeo, & pijs atq; etiam toti Ecclesiae communicare possum, admonui Illyricum, vt nouam opinionem de substanciali peccato originis retractaret, ne Manichaeismum resuscitaret: & monstrabam ei locos in Augustino in quibus videre poterat Manichaeos quoq; contendisse peccatum originis non esse accidentis vicium, sed substantiam. Et hunc profanum & insanum errorem ab Augustino confutatum esse & ab Ecclesia damnatum.

Verum Illyricus alto supercilio despexit fideles meas admonitiones, publicavit suos libros magna confidentia de peccato originis, has turbas in Ecclesia excitauit nouo suo dogmate: Et nouae sectae author & d<sup>r</sup>ī<sup>s</sup> exxitit.

Pessimè autem habuit Illyricum quod ausus fuerim per

per literas refutare illius stolidā argumentā, in primis quod  
admonui eum de Manichæismo. Scriptis igitur epistolis ad  
multos amicos, & adfines meos & homines doctos acerbè  
conquestus est de me.

Vbi verò prodijt epistola mea cum analysi, dein  
de Germanicum scriptum meū, quo parūam eius confes-  
sionem & criminacionem refello, tūm totus furere cāpit:  
de resipiscētia & retractationē erroris cogitare nō potu-  
it, nec voluit. Horribili igitur confidentia ingēnij, & cum  
furioso contēmptu totius Ecclesiæ perinde ac si nemini  
essent oculi, nulli pio inesset cor & mens, ac si nemo du-  
ceretur à spiritu Dei in omnem veritatem, publicè conatur  
tueri suum dōgma: Idq; facit tanta atidacia & inaudita  
impudentia vt non solū neget suum dōgma quidq; com-  
mune habere cum Manichæismo, Verum etiam mirabili at-  
tificio, & per rhetorican inuersionem omnem culpati Ma-  
nichæismi audeat deriuare in antagonistas: & contendat  
nostram doctrinam de peccato originis, quæ nō est nostra  
sed est filij Dei & Prophetarum, Apostolorum, Augustini,  
Lutheri & totitis Ecclesiæ incurrere multipliciter in Mani-  
chæismum: Ad quam impudentem calumniam etiam illi  
in Antidoto sit responsū prolixè, tamē quia vociferatur  
nos ista silentio transire & plenis buccis eandem calumniam  
in proximo scripto repetat, opera p̄tēm fore iudico vt  
denuo hac de re agam, impudentiam Illyrici Ecclesiæ  
demonstremus, & calumniā à nobis depellamus. Primo er-  
go loco validis argumentis demonstrabimus Illyricum  
non posse se exuere sacrilego crimine Manichæismi, nisi ne-  
farium suum errorem de substantia peccati originis abiece-  
rit, retractauerit, damnauerit, & omnes suos libros in qui-  
bus sparsit istam blasphemam doctrinam reuocauerit. De-

inde ostendemus nostram sententiam & confessionem de peccato originis prorsus alienam esse à Manichæismo, & Illyricum meras calumnias euomuisse.

Quod Mattheum Flacium Illyricum coram tribu-  
pali Dei & Ecclesia Christi accusauit Manichæismi non ita  
est accipendum, quod tribuam ei omnes errores de quibus  
secta Manichæorum apud Augustinum & alios scriptores  
accusat. Sed quantum ad præsentem attinet controvërsi-  
am. Sicuti Georgium Maiorem iure Papistam vocamus,  
quia errorem Papistarum de reliquijs liberi arbitrij, & co-  
peratione humanæ voluntatis, & errorem de necessitate  
bonorum operum ad salutem pertinaciter defendit; etiam-  
si alios errores & idolomanias Papistarum rectè refellat. Si-  
cuti Victorinum Strigelium de Calvinismo accusat Eccle-  
sia, quia in articulo de cæna domini defecit ad Calvinistas,  
cum in alijs multis ut de libero arbitrio & de prædestinatio-  
ne, & de causa peccati, prorsus dissenferit à Calvino, Beza &  
alijs. Sic quamvis Illyricus alienus sit à multis prodigi-  
osis erroribus Manichæorum: Plurima enim fœdissima &  
absurdissima portenta finixerunt Manichei, ut in Augustino  
ad Quod vult Deum de heresibus, & in libris conf:faustum,  
Secundinum, Adimantū, Fortunatum: Item apud Epiph-  
anium & alios scriptores videre licet. Manichæi finixerunt  
duo esse pariter æterna numina, Bonum & malum. Bonum  
φῶς malum φῶτος appellantur. Finixerunt Christum non fu-  
isse verum hominem, sed tantum phantasma suscepisse.  
Finixerunt solem & lunam duo esse nauigia. Contenderunt  
animas esse à bono Deo, & esse partem Dei. Item, Animas  
transfundi in corpora pecudum: Mentiti sunt audacter Mo-  
sen & Prophetas locutos esse mendacia. Finixerunt Baptif-  
cum in aqua nihil cuiq; adferre salutis. Blasphemauerunt  
Deum

Deum qui per Mosen locutus sit fuisse vnum de gente tenebrarum, &c.

Hæc & similia portenta & Blasphemias quas Manichæi horribili furore & audacia euomuerunt, sicuti Epiphanius, Augustinus, Theodoreetus & alij scriptores testantur, nunq; obieci Illyrico neq; alius quisq; in nostris Ecclesijs de eiusmodi furoribus accusauit Illyricum.

Alia tamen sunt Capita doctrinæ in quib[us] Illyricus cum suis sectatoribus, ipsissimum Manichæismum resuscitat. Sicuti in antidoto parte 6. clare demonstrauit: Sed quia nullum finem facit vociferandi sibi fieri iniuriam, & non tantum non refert pedem à sacrilego errore Manichæorum, sed insuper etiam crimen hoc in innocentes transferre contatur, hic denuò demonstrandum est Ecclesiæ iure accusari Illyricum de sacrilego Manichæismo, & anathematis vinculo eum constrictum & colligatum esse quamdiu non agit seriam pœnitentiam & retractat immanem ertorem. Dogmata ergo Illyrici quæ Manichæismum sapientia ista sunt:

1. Quod contendit peccatum originis esse substantiam.

2. Quod fingit in homine renato duas esse diuersas substancias & diuersas species animæ.

3. Quod adserit veterem hominem, substantiam hominis non renati, carnem concupiscentem, & cor lapideum & rationem in summo suo gradu esse opus à Satana conditum.

4. Quartò, quod furenter negat peccatum originis seu concupiscentiam carnis esse accidens & separabile vicium.

Hos foedissimos & crassissimos errores, pugnantes cum expresso Dei & recto iudicio à Catholica Iesu Christi

Christi Ecclesia damnatos, cum ante mille annos furiosa  
secta Manichæorum hisce phrasibus, verbis, syllabis, argu-  
mentis adseruerit & defenderit; quibus phrasibus, verbis,  
syllabis, & argumentis nunc resuscitat̄ & magna confi-  
dentialia defenduntur, & audacissimo conatu Ecclesiæ Christi  
obtruduntur: quis sana mente præditus dubitare potest  
num Illyricus iure & merito de sacrilego Manichæismo ac-  
cusetur? Fatoeque equidem accusationem esse grauissimam  
si quis coram Deo insimuletur Manichæismi; Certum est  
enim Manichæos hæreticos non habere partem in regno  
Dei, nisi egerint pænitentiam. Et metuo Deum iudicemse-  
uerum & iustissimum. Verum cum impura dogmata Illyri-  
ci ante oculos iaceant, & mei officij sit admonere pusillos  
Christi, & periculum Ecclesiæ immineat grauissimum à fal-  
sa & impia Illyrici doctrina bona & alacri conscientia ac-  
cuso Illyricum de Manichæismo coram tribunali Dei &  
coram Ecclesia: & peto ut Deus cum Ecclesia iuxta suum  
verbum ferat sententiam,

Excusationes, tergiuersationes, interpretationes, ex-  
ceptiones, protestationes, contorsiones, inuersiones, & simi-  
lia artificia Illyrici proflus nihil iuuant eius causam. Im-  
peiores reddunt. Si saperet humili confessione & submissa  
deprecatione multò plus efficeret quam falsa excusatione  
& superba defensione.

Sed ad demonstrationem nostræ accusationis acce-  
damus.

Manichæos quatuor ista capita, quæ paulò ante po-  
sui, docuisse homines docti quibus historia Ecclesiæ & in-  
primis Augustini scripta & certamina aliquomodo nota-  
sunt negare non possunt, nisi velint manifestam inficiari  
veritatem. Sed ut non solum doctis verum etiam rudiori-  
bus in

bus in Ecclesia probemus nostram accusationem , paucos  
hic indicemus locos.

I. Quod Manichæi contenderunt malum originis  
seu concupiscentiam carnis esse substantiam seu substantia-  
le malum disertissimè testatur Augustinus. Ad Quod vult  
Deum; Manichei carnalem concupiscentiam, qua caro con-  
cupiscit aduersus spiritum non ex vitiata in primo homine  
natura nobis inesse infirmitatem , sed substantiam volunt  
esse contrariam &c. Item : Augusti: lib:2:cont: Julianum ci-  
tans Ambrosij testimoniū. Mali equi sunt iracundia, con-  
cupiscentia , timor , iniquitas; Vnde isti sunt equi? Nempe si  
eos substantias dicimus vel putamus Manichæorum faue-  
mus vel hæremus insaniae : quod vt absit à nobis Catholice  
istos equos intelligimus vicia nostra, quæ legi mentis ex le-  
ge peccati resistunt. Audis Lector eos qui dicunt vel putant  
concupiscentiam & iniquitatem esse substantiam insaniae  
Manichæorum fauere, Item lib:5. cont: Julia : Cap : 4. Non  
enim, sicuti insimulas, cum Manichæis dicunt inesse carni  
suæ mali necessitatem : quod malum illi substantiale : &  
Deo coeternum esse mentiuntur, sed dicunt sanè cum Apo-  
stolo: Video aliam legem in membris meis repugnantē legi  
mentis meæ : Attende Lector quod Augustinus loquatur  
de peccato originis. Quia de malo loquitur quod inest car-  
ni. Item de lege in membris repugnante legi mentis. Hæc  
sane lex est peccatum originis etiam Illyrico teste. Iam Au-  
gustinus dicit Manichæos mentiri hoc malum originis esse  
substantiale: Ecclesiam vero ab isto errore alienam esse. Ob-  
serua Lector duos distinctos errores hic tribui Manichæis.  
Primus est quod mentiti sunt malum originis esse substan-  
tiale: Alter est quod finixerunt malum esse coeternum Deo:  
de secundo errore non accuso Illyricū: Ideoq; frustra se hic

L

purgat

purgat vel strepitum excitat: de priore autem errore Manichæorum quo mentiti sunt, ut Augustinus testatur, malum originis & legem membrorum esse substantiam, accuso Illyricum ut paulò post demonstrabo. Item: cont: Secundum Manichæum Cap: 12. Certe omnis inter nos discretio est quod vos substantiam quandam malum esse dicitis: nos vero non substantiam sed inclinationem ab eo, quod magis est, ad id quod minus est, malum esse dicimus. Item: Cap: 13. Contra Manichæum disputans. Malum etiam illud, cui anima consentiendo voluntariè peccat, ex vestra opinione substantia est. Malum cui anima consentiendo peccat, an non est concupiscentia carnis? An non est peccatum originis? Hoc malum, inquit Augustinus, ex opinione Secundini Manichæi est substantia.

Et quid pluribus testimonij opus est, cum passim occurrant in Augustini libris quos contra Manichæos scripsit. Ex Epiphanio quoq; manifestum est, quod Manichæi contenderint peccatum esse ἐν πόσεσσοι, id est, quiddam subsistens.

Iam verò num longa probatione nobis opus erit ut demonstremus Illyricum eundem errorem, Manichæorum de substanciali peccato originis reuocare ab inferis? Quid aliud loquuntur, volunt, vrgent, ad nauseam vsq; repetunt, magna impudentia obtrudunt, ad rædium vsq; inculcant & indefinenter vociferantur tot eius volumina hisce annis edita de peccato originis? Quām peccatum originis esse substantiam? Solem istum qui nobis lucem præbet credo obstupecere ad insaniam & furorem eorum qui lectis libris Illyrici tamen negant eum adserere quod peccatum originis sit substantia.

Pingit hanc phrasin in titulis librorum, repetit eam in singulis

Singulis paginis , scopus hic est multorum voluminum, incusat  
cam in argumentorum vel potius sophismatum conclu-  
sionibus, ponit eam in initio, in medio, in fine librorum : pin-  
git eam saepe maiusculis literis ut incurrat statim in oculos.  
Et tamen dubitare homines audent num Illyricus sic  
loquatur & doceat. O horrendum hominum stuporem. O  
detestandam pertinaciam & audaciam negandi ea quae  
omnibus sanis ante oculos iacent. Hoc sanè est in ipsa meri-  
die cæcutire veluti in media nocte. Non difficile mihi es-  
set sexcentos locos citare , in quibus claris verbis dicit Illy-  
ricus peccatum originis esse ipsam hominis essentiam vel  
substantiam. Sed ineptus essem si adeò diffiderem ingenio  
lectoris, & ea quae ante oculos iacent operose probarem. In  
prima pagina libri Illyrici, cui titulus est Demonstrationes  
evidentissime ante prefationem sic ponitur conclusio argu-  
menti. Igitur originale peccatum est essentia ipsa hominis.  
Et liber γνῶθι σεαυτόν hunc titulum habet : De essentia origi-  
nalis iniustitiae. In confessione prolixa de peccato originis  
& passim inculcat & repetit peccatum originis, seu imagi-  
nem Satanæ esse ipsam hominis substantiam vel essentiam.  
Ac in primis ubi statum causæ format, Ut in præfat: & 7. Ego  
inquit Illyricus clare adfirmo originalem iniustitiam esse  
ipsam pessimam naturam, essentiam aut formam &c. Item:  
confess: pag: 40. Hic perspicue respondeo quod peccatum  
originis sit ipsam naturam hominis. confess: pag: 330. ali-  
quoties in eadem pagina repetit. Ergo quoddam peccatum  
est substantia: & de peccato originis loquitur. Furenter igi-  
tur non vult videre: imo ostendit se apertum hostem esse  
manifestæ veritatis, quicunq; inspectis libris & locis iam  
citatatis negat Illyricum cum Manichæis adserere quod pec-  
catum originis sit substantia. At verà Illyricus sua quæ-  
dam ha-

dam habet effugia. Quænam obsecro? Manichæi dixerunt malum talem esse substantiam quæ suam quandam habet materiam: At Illyricus imaginatur tantum formam substantialiæ sine materia. Mira profecto audio: An vlla anus sic vn j; delirauit vt fingeret substantiam quandam sine materia? An vlla potest esse forma substantialis sine materia & subiecto in quo? Quænam hæc sunt noua figura & portenta? Putidum igitur sophisma est de materia. Manichæi contenderunt peccatum originis esse substantiam: Totidem syllabis Illyricus nouus Manichæus contendit peccatum originis esse substantiam. Manichæi vocabulum substantiæ in hac controversia opposuerunt vocabulo accidentis.

Illyricus eodem modo vocabulum substantiæ opponit vocabulo accidentis. Ergò quod ad hoc doctrinæ caput attinet Manichæi ab Ecclesia damnati, & Illyricus Manichæorum discipulus planè consentiunt: Prouocauimus sane vterq; ad iudicium Dei: & is suo tempore ostendet suum iudicium de coelo sine omni dubitatione. Nunc verò etiam toti Ecclesiæ & omnibus doctis & sano iudicio præditis deferò iudicium, ferant sententiam iuxta suam conscientiam: An hac in parte Illyrico fiat iniuria. Distincti eritores fuerunt quod finxerunt malum originis aeternum fusile: & malam substantiam bonę commixtam: de his non litigamus cum Illyrico: frustra igitur ad hæc effugia delabitur. Conuicimus autem eum huius blasphemii & sacrilegi erroris quod cum Manichæis, ut demonstratum est, adserit & furenter defendit peccatum originis esse substantiam. Vnde necessariò sequitur aut Satanam esse creatorem aut Deum esse causam peccati. Distinctio inter materiam & formam substantialem nihil iuuat nouum Manichæum.

Omnis

Omnis enim substantia siue sit materia siue forma substancialis est à Deo condita, sed peccatum non est à Deo conditum. Itaq; peccatum nulla ratione est substantia. Dicit Illyricus quod peccato originis nullam tribuat materiam. Quo ergò sensu toties repetit cor esse peccatum originis, carnem concupiscentem, animam rationem, mentem, veterem hominem, corpus peccati esse peccatum originis? An nulla est materia cordis, carnis, corporis, hominis, animæ? Vides Lector meritis præstigijs ludere Illyricum, tantum ut fascinet Lectorem rudem? Quod dicit in hac Theologica tractatione, scripturam respicere ad formam essentialem hominis, mendacium est. Nusq; facta scriptura dicit formam substanciali esse peccatum originis. Neq; hoc dogma in vlo probato authore extat. Nouum est Illyrici figura mentum vniuersæ antiquitati ignotum. Proferat Illyricus ex omni antiquitate vnicum testimonium, in quo dicatur peccatum originis esse formam hominis substancialem. Non igitur permittat Lectör se turbari his præstigijs, sed hunc statum semper vrgeat. Illyricus contendit peccatum originis esse substancialm & malum substancial. Idem totidem syllabis & eodem sensu docuerunt furiosi Manichæi, Secundinus, Faustus & alij præceptores Illyrici damnati cum hoc errore ab Eccle; Christi. Ergò Illyricus discipulus Manichæorum iure coram tribunalí Dei accusatur de fanatico Manichæismo, & anathemate merito arcetur ab Ecclesia.

Secundum dogma Manichæismum redolens est quod fingit in homine præsertim renato duas esse specie diuersas substancias animæ; & nouum & veterem hominem specie inter se differre. Quod etiam hac in parte Illyricus ut discipulus consentiat suis præceptoribus Manicheis ex

Augustino liquidò demonstratur. Sic enim de Manichæis refert ad Quod uult Deum: Easq; duas animas vel duas mentes unam, bonam, alteram malam in uno homine inter se habere conflictum, quando caro concupiscit aduersus Spiritum: & Spiritus aduersus carnem. Attende Lector quod Manichæi ita Paulum interpretati sunt de nouo & vetere homine, quod finxerunt duas diuersas animas seu mentes. Item, Augustinus cont; Faustum libro 24. prolixè ponit verba Fausti Manichæi: Qui citans verba Pauli ad Roma: 7. de exteriore & interiore homine: Item, ad Eph:4. & Colos:3. de excuendo vetere homine & induendo nouo: in eam sententiam illa enarrat, ac si docuisset Paulus distinctas esse substantias, & diuersarum specierum animas, quæ inter se prælientur. Dicit enim Faustus tantum nouum hominem esse à Deo formatum: Veterem verò hominem non esse à Deo formatum. Hunc errorem ita mox refellit Augustinus ut doceat, Veterem & nouum hominem apud Paulum non diuersas species, sed unum eundemq; hominem dici, quem totum corpore & anima fecerit Deus: qui diverso respectu nunc vetus ob veterem prauitatem, nunc nouus ob renouationem imaginis Dei nominetur. Ex hac ergò Augustini disputatione cum Manichæo Fausto habita, patet Manichæos hoc contendisse quod nouus & vetus homo in renato sint duæ diuersæ species animæ inter se præliaentes. Iam conser tu pie Lector cum hoc deliramento Manichæorum figmenta & interpretationes Ilyrici de nouo &: vetere homine. Ipse quidem alicubi negat se posnere duas in homine animas: Valde enim familiare illi est sibi ipsi contradicere: & mox impugnare quod ante disertè pronunciauit, ut ipsius libri viuum dicunt testimonium: Sed tamen non semel sed aliquoties perspicuè testatur quod hunc

hunc errorem de duabus speciebus animæ in vno homine  
renato in pectore foueat, & Ecclesiæ obtrudere cupiat. Hoc  
enim ex ipsius dogmate sequi necesse est. Si enim nouus &  
vetus homo significant ipsam animæ substantiam, & qui-  
dem vetus & nouus homo iuxta Illyrici dogma sunt duæ  
diuersæ species. Profectò necesse est in vno renato, in quo ci-  
uile bellum inter se gerunt nouus & vetus homo, duas di-  
uersas animas ponи. Si etiam peccatum originis iuxta Illy-  
ricum est substantia & quidem ipsa hominis anima: & pec-  
catum originis est quiddam diuersum tota specie ab homi-  
ne renato, nouus autem Spiritus substantiam significat, quid  
aliud intelligi potest quam Illyricum adserere duas animas  
in vno homine renato? Nō enim poterit dicere quòd pecca-  
tum originis & imago Dei renouata in renato sint vna que-  
dam substantia. Vtrumq; autem est in renato & peccatum  
originis & imago Dei renouata, Ergo duæ sunt scilicet di-  
uersæ animæ in vno renato. Quia Illyrico & peccatum  
originis seu imago Satanæ est ipsa substantia animæ: Et  
imago Dei renouata per Spiritum, est substantia ani-  
mæ. Vertat & torqueat se hic Illyricus in omnes gyros: ta-  
men elabi non potest quin palam conuincatur Manich-  
æismi: siquidem cum furiosis Manichæis furenter docet  
duas esse animas in vno homine renato diuersæ speciei, v.  
nam bonam quæ sit imago Dei: alteram malam, quæ sit pec-  
catum originis & imago Satanæ. Ac ne quiritetur Illyricus  
adfini sibi portentosas opinione, aut Lector suspicetur nos  
velle eum inuidia premere præter meritum, ipsa planissima  
verba Illyrici, quibus duas animas in vno homine adserit  
recitemus.

In mea Epistola & fundamento 15. Admonueram Il-  
lyricum, ex ipsius dogmate hoc sequi absurdum, quòd

oporteret ponī in vno renato duas substantiales formas animæ: hoc est, duas animas diuersæ speciei: nam substantialis forma constituit distinctam speciem. Iam audi tu mi Lector, quid mihi Illyricus ad hanc meam obiectionem respondeat. Confessione prolixa pag: 188. Respondeo, inquit Illyricus, Hoc concedit scripture, tribuens yni iam renato homini imaginem Dei & Diaboli, carnem inimicam Deo, & Spiritum Deo parentem. Imò etiam adserit in vno eodemq; renato esse duos diuersissimos & sibi inuicem inimicissimos homines veterem & nouum carnalem & spiritualem acerrimè inter se pugnantes. Sic pro duabus substantialibus formis accipiat ex scripture duos homines in vno Paulo seu duos homines in vno sacco se mutuo mordentes. Hactenus Illyricus. Quæso te Lector an Faustus vel Secundinus Manicheus crassius potuisset adserere duas animas in vno renato? Admonitus Illyricus disertè respondet se adfirmare duas substantiales formas animæ in vno renato. At forma substantialis animæ, constituit certam speciem animæ: Nam forma est quæ dat esse rei. Ergò in renato sunt duæ animæ diuersæ speciei iuxta delirium Flacij noui Manichæi. Addit in homine existere imaginem Dei & imaginem Satanæ. Quæ toto genere sunt res diuersissimæ sicuti peccatum & iusticia. Et imaginem Dei & Satanæ vocat Illyricus substantialiam animæ. Ergò iuxta Illyricum duæ sunt diuersæ substancialiæ animæ in vno renato: Vna quæ sit essentialis imago Satanæ & ipsum peccatum originis: Altera quæ sit substantialis imago Dei, & iustitia. Satis ne euidenter probauit Lector, quod Illyricus cum Manichæis adserat duas diuersas animas in vno homine renato? An adhuc liquidiorem probationem desideras? Iisdem quoq; probationibus cum Manichæis vtitur. Nam vt Faustus Manichæus

nichæus lib. 24. abutitur dictis Pauli Rom:7. Eph:4. Coloss:3. ad probandum quod duæ sint animæ in uno renato; Ita & Illyricus eodem modo Pauli locos corruptit & ad suum figmentum contorquet. Adhæc Illyricus aperte contendit in uno Paulo duas esse naturas intelligentes pugnantes inter se. Et palam dicit peccatum originis esse naturam intelligentem, eligentem, volentem, & cum deliberatione agentem. Natura autem intelligens in homine est ipsa anima. Distinguit autem Illyricus hanc naturam intelligentem & animam à Paulo renato quem itidem fatetur intelligentem; duas ergo diuersas intelligentes naturas, hoc est, duas animas ponit in Paulo renato. Verba Illyrici sunt. Paulus dicit hunc hostem inuadere se, quatenus sit spiritualis, militare contra se potenter, & captiuum etiam se abripere, sub iniustitiam aut peccata actualia. Posset ne hæc pessima vis, aut natura scire Paulum esse renatum, eumq; tam potenter aggredi, oppugnare & captiuare, si omnino careret omni intelligentia, voluntate, electione, & vi scientiaq; militandi, pugnandi, ac imperandi contra nouum hominem?

Paulus confert peccatum Originis cum se, quatenus est renatus, bis inculcans & copiose exponens, non se patrare illa actualia peccata, sed peccatum in se agens. Sicut igitur ipse Paulus recta intelligens & volens, eligens & moliens, est natura intelligens & volens; Ita etiam ille alter socius, vel potius Antagonista eius, omnia contraria intelligentia, volens, moliensq; natura quedam intelligentis rationalisq; est. Alioqui certè non posset conferri cum Paulo renato, eiq; ex æquo comparari. Tantum enim ea propriètatem vehementer conferuntur, quæ aliquo modo similia sunt.

Iam tu examina pie Lector hæc verba Illyrici & co-  
M gita, an

gita tecum, an non statuat hic nouus Manichæus duas diuersas animas in uno Paulo. Dicit enim peccatum originis scire quod Paulus sit ornatus. Ergo Illyricus peccato originis tribuit cogitationem, noticiam, mentem & voluntatem. Et quidem 25. argumenta ponit ex Paulo, quibus probare conatur peccatum originis esse naturam intelligentem, eligen-  
tem & volentem. Et tamen discrimen ponit inter pec-  
catum originis & Paulum renatum: Et fatetur Paulum re-  
natum esse naturam intelligentem & volentem. Sicut in-  
quit Paulus est natura intelligens, eligens, volens: ita & il-  
le alter socius seu potius antagonista eius omnia contraria  
intelligens, est natura intelligens & rationalis. Iam negari  
non potest quod natura intelligens & rationalis in homino  
sit ipsa anima: Nemo etiam negare potest quod res sint di-  
uersissimæ peccatum originis ortum à Satana, & nouus in  
Paulo Spiritus natus ex Deo. Ergo iuxta Illyrici nouum  
Manichaismum dux sunt diuersæ animæ in uno renato  
Paulo. Hæc errorum portenta cum in confessione sua pro-  
lixia palam & aperte adserat & contortis sacræ scripturæ di-  
ctis pertinaciter defendat cum Manichæis quis non videt  
merito accusari, atq; etiam liquidò conuinci Illyricum de-  
fusioso Manichaismo.

Tertium caput est quod Illyricus cum Manichæis  
adserit veterem hominem, cor lapideum, carnem concupis-  
centem & pessimam essentiam animæ & rationis esse opus  
Satanæ. Quod Manichæi sic docuerunt liquidò adparet ex  
Augustino in plurimis locis. Ut in Ioan: Tractatu 42. A pa-  
tre Diabolo estis. Hic iam cauenda est hæresis Manichæo-  
rum, quæ dicit esse quandam naturam mali & quandam  
gentem tenebrarum: Et paulò post: Hinc dicunt ducere ori-  
ginem nostram carnem, & secundum hoc dictum putant à  
domino.

Domino. Vos à Patre Diabolo estis, quod essent illi velut  
natura mali ducentes originem de gente contraria tene-  
brarum. & Paulò post: Propterea vos non auditis: quia ex  
Deo non estis: Iterum nolite attendere naturam sed vici-  
um. Sic sunt isti ex Deo, & nō sunt ex Deo. Natura ex Deo:  
Nicio non ex Deo. Obscurò vos attendite: in Euangelio ha-  
betis unde sanemini contra errores venenosos & nefarios  
hæreticorum, quoniam & de his verbis solent Manichæi  
dicere: Ecce quia dux naturæ sunt, una bona, altera mala.  
Vides lector Manichæos docuisse quod caro hominis sit  
opus Satanæ. & quod Augustinus istum errorem vocet hæ-  
resin? Item Augustinus cont: Julianum. lib. 2. in testimo-  
nio Gregorij: Ac ne quisquam in his verbis Episcopi Gre-  
gorij hostiliter vrgeri carnem tanquam ex contraria natu-  
ra mali secundum Manichæorū insaniam suspicetur, etiam  
ipse vide quemadmodum suis fratribus & condotioribus  
concinat. Audis Lector Manichaorum esse insaniam, suspi-  
cari carnem esse ex contraria natura mali. Item ad Bonifa-  
cium cont: duas Epistolas lib: 4. Ca: 4. Quid prodest Pelagi-  
anis quod in laude creaturæ dicunt Deum bonum nascent  
etiam conditorem per quem facta sunt omnia, eiusq; opus  
esse filios hominum quos Manichæi dicunt opus esse prin-  
cipis tenebrarum, cum inter vtrosq; vel apud vtrosq; Dei  
creatura quæ est in infantibus pereat? Atende Lector Ma-  
nichæos hæreticos teste Augustino dixisse quod filii homi-  
num sint opus principis tenebrarum, id est, Diaboli.  
Rursus Augustinus lib: 24. contra Faustum ipsa verba Ma-  
nichæorum primum ponit: quibus asserunt veterem & ex-  
teriorum hominem non esse à Deo sed à Diabolo. Ut ex hoc  
liqueat ( inquit Faustus ) & veterem hominem nec imagi-  
nem esse Dei, nec ab ipso formatum. Et paulò post: eoq;

rectissimè hunc quidem ( veterem hominem : ) corporis  
naturæ adscribendum putabimus , illum verò supernæ ma-  
iestati. Et Paulò post : siquidem vobis placuerit hoc veteri,  
exteriori & terreno homini tribuere ut sit à Deo formatus:  
nos vero contra cœlesti hoc dederimus , & interiori & nouo  
hoc deferamus. Hæc quæ posui Fausti Manichæi sunt vera  
& confessio apud Augustinum : qua disertè negat veterem  
hominem esse à Deo formatum. Augustinus verò refutans  
Manichæa deliria ex scriptura probat etiam exteriorem  
hominem à Deo esse conditum. Ecce inquit Deus etiam ex-  
terioris hominis effector ab eodem Apostolo prædicatur.  
Item : Ad Quod uult Deum: Manichæi omnem carnem non  
Dei, sed malæ mentis perhibent esse opificium. Ex his li-  
quidò patet Manichæos docuisse quòd caro concupiscentis  
aduersus Spiritum , & corpus peccati , & vetus Adam , & cor-  
lapideum sit opus Satanæ. Ac Julianus per calumniam obie-  
cit Augustino quòd Manichæismum doceret & adsereret  
hominem esse opus Diaboli , eò quòd adseraret hominem  
cum peccato originali nasci. Inspiciat Lector Augustini li-  
bros, de nuptijs & concupiscentia: Cap: 1. Isti nouelli & per-  
uersi dogmatis adserores tanq; opus Dei , id est, hominem  
qui ex ijs nascitur opus Diaboli esse dicamus imperitè ca-  
lumiantur: Item, de nuptijs & concupiscentia lib: 2. Cap:  
3. Manichæi dicunt humanam naturam non à Deo condi-  
tam bonam & peccato virtuatam: sed ab æternarum principe  
tenebrarum de commixtione duarum naturarum homi-  
nem creatum. Et toto hoc libro grauiter & prolixè refellit  
hanc calumniam Juliani Augustinus. Et ostendit se ab isto  
furore Manichæorum alienissimum esse : Quia distinguit  
esse opus Satanæ, Eandem calumniam in libris contra Iuli-

anum à se repellit. Cui ergò notus est Augustinus, is, nisi ve-  
lit manifestæ veritati contradicere, negare non potest, Ma-  
nichæos adseruisse quòd vetus homo & caro concupiscentia  
aduersus Spiritum sit opus Satanæ.

Quid verò an longa probatione nobis opus erit ut  
demonstremus Matthiam Flacium Illyricum idem cum  
Manichæis docuisse? Contentiosis nunq̄ satisfieri potest:  
nos verò scribimus sanctæ & electæ Ecclesiæ Christi quæ  
donum habet iudicandi Spiritus, & quæ in seria istuocatio-  
ne inquirit veritatem. Legat ergò Ecclesia præfationem Il-  
lyrici quāt prolixæ confessioni præmisit. a. 4. Vbi clarè in-  
ueniet Illyricum adserere veterem & animalem hominem,  
cor lapideum, carnem concupiscentem, corpus peccati, esse  
opus Diaboli à filio Dei destruendum. Item confessione  
pag. 221. Minor est verissima, quòd cor aut mens peruersissi-  
ma, quatenus est ex optima arbore in pessimam transfor-  
mata sit opus, aut plantatio, zizaniaq; Diaboli, 2. part clavis:  
pag. 497. de vetere homine à Satana condito loquens Illy-  
ricus, addit. Hoc ingens & terribile opus, machinam & ædi-  
ficiūm Satanæ ut Filius Dei destruat venit in hunc mun-  
dum. An non h̄c disertissimè Illyricus cum Manichæis ad-  
serit veterem hominem & carnem concupiscentem esse o-  
pus principis tenebrarum: Nihil iuuat Illyricum effugium:  
Manichæi dixerunt ex commixtione duarum naturarum  
hominem esse opus Satanæ: Illyricus verò fingit ex trans-  
formatione & essentiali generatione hominem esse opus  
Satanæ. Nulla enim secta prorsus cum alia congruit, sed  
Omnes nouelli doctores Ecclesiæ & sectarum authores  
suis inuentis & figmentis mirificè delectantur. Et liberrimè  
& audacissimè ludunt opinionibus. Et quilibet in excogi-  
tandis nouis portentis palmam expetit. Hoc satis eviden-

ter nunc constat, Sicuti Manichæi furenter docuerunt veterem hominem, & carnem concupiscentem esse opus Satanæ principis tenebrarum, sic Illyricum nouum Manichæum furenter in Ecclesia contendere quod vetus homo, cor lapideum, corpus peccati, caro concupiscentia aduersum Spiritum, atq; etiam ipsa corrupta essentia animæ, & ratio in summo suo gradu sit opus Satanæ principis tenebrarum.

In ydib; ccxvi Tov; fol: 175. Illyricus huiusmodi ponit syllogismum, Septimò: Omne opus Diaboli est necessariò peccatum, quod certè negari non potest. Est verò istud induratum aut lapideum cor, seu corruptissima ratio, aut serum arbitrium, omnino opus Diaboli, sicut etiam V Vilhel- mus Parisiensis Episcopus & alij istud peccatum vocarunt caput serpentis & draconis, non quidem ratione illius pri- mæ creationis, sed ratione huius horrendæ transfiguratio- nis seu nouæ laruæ, seu ratione istius nefariae lapidositatis, aut ( vt ita dicam ) fermentositatis, seu ratione istius nefariae inscriptionis pessimæ efficacissimæq; legis. Ita pessima arbor aut oleaster aut labrusca, est opus Diaboli, non qui- dem eo nomine, quod primum est à creatore, producta ex terra optima arbor, olea aut yitis: sed ob istam horrendam immutationem ac naturam, quam iam habet: Igitur istud lapideum cor, aut peruersa ratio, aut cœca yanaq; mens, vt eam Paulus vocat, est peccatum seu iniusticia.

Integrum locum adscripsi, vt Lettor videat Illyricum si- ne vlla hæsitatione audacissimè pronūciare, quod cor homi- nis lapideum, & corrupta caro sit opus Satanæ. Ac plurimos locos annotare possem, vt confes: prolixa: pag: 50. Item: pag: 320. Item defen: pag: 104. substantiam corporis & anime qua- tenus est inuersa, corrupta & transformata esse à Diabolo. Demonstrat: pag: 56. Veterem Adamum & carnem concu- piscentem

piscentem esse opera & plantas Diaboli, non ratione creati-  
onis, sed ratione metamorphoseos & transformationis: quid  
opus est pluribus testimonij? Cum passim in omnibus libris  
incollet, & vrgeat hanc blasphemiam, ipsum hominem  
corruptum, cor & animam corruptam esse opus Diabo-  
li à filio Dei destruendum? Qui ergo lectis & consideratis  
hisce evidentissimis probationibus, dubitat num Illyricus  
Manichaismum resusciteret, eum necesse est aut parum cere-  
bri aut parum pietatis habere. Quod Illyricus etiam cum  
Manichæis docuerit, Satanam esse conditorem & creatorem  
veteris hominis tam perspicue, euidenter & validè demon-  
strauit in meo antidoto parte. 6. pagina 189. vsq; ad pag: 202.  
Ut si quis hac evidentissima demonstratione non sit conten-  
tus, eum necesse sit horribili studio contentionis laborare,  
aut flagrare odio veritatis, aut omni iudicio destitui. Eò igi-  
tur remitto Lectorem. Quid enim necesse est omnia singulis  
repeti locis. Quartò dixi Illyricum cum Manichæis negare  
quod peccatum originis sit accidens vicium, unde manife-  
stum est eum iure de Manichæismo accusari. Dogma Mani-  
chæorum ex Augustino manifestum est. Contra duas Epi-  
istolæ Pelagia: ad Bonif. lib: 2. Capit. 2. Confert Augusti-  
nus inter se Manichæos & pelagianos: ostendit quid utraq;  
secta de peccato originis senserit & docuerit. Addit etiam  
quomodo Ecclesia Dei utriusq; sectæ errorem damnauerit.  
Verba Augustini sunt. Manichæi carnis concupiscentiam  
non tanq; accidens vicium, sed tanq; naturam ab æternita-  
te malam vituperant: Pelagiani eam tanq; nullum vicium,  
sed naturale fit bonum insuper laudant.

Catholica utrosq; redarguit, Manichæis dicens non  
natura, sed vicium: Pelagiánis dicens non à Patre, sed ex  
mundo est, vt eam velut malam valetudinem sanari utriq;  
elcusp.

permittant, desinendo illi tanq; insanabilem credere, illi  
tanq; laudabilem prædicare: haec tenus Augustinus: Negare  
Illyricus non potest Augustinum in specie de peccato ori-  
ginis loqui; Nam tota disputatio in quatuor libris ad Boni-  
facium est de peccato originis contra Iulianum. Et notissi-  
mum est Augustinum passim peccatum originis appellare  
carnis concupiscentiam. Nec sanè Pelagiiani laudabant pec-  
cata actualia, sed negabant peccatum originale, & conten-  
debant hominem sine vicio nasci. Nec verò tantum dicit  
Augustinus, Manichæos docuisse quòd peccatum originis  
seu carnis concupiscentia non sit accidens vicium: sed eti-  
am addit hunc errorem ab orthodoxa Ecclesia explodi, re-  
tundi, & refelli. Vbi ergò demonstrauerimus, quod cer-  
tè factu non est difficile, Illyricum negare quòd pecca-  
tum originis sit accidens, non solum omnibus pijs & Deum  
timentibus constabit iure eum de Manichæismo accusari,  
verum etiam orthodoxæ & Catholice Ecclesiæ piam con-  
fessionem & doctrinam de peccato originis nitentem fun-  
damento verbi diuini ab ipso corrumpi. Si nebulas co-  
netur ostendere Lectori Illyricus, exagitando quòd Ma-  
nichæi dixerint peccatum originis esse naturam ab æterni-  
tate malam: sciat Lector distinctos esse errores de quibus  
accusati sunt Manichæi. Et quòd dixerint peccatum esse  
substantiam seu naturam; & quòd dixerunt naturam mali-  
esse ab æterno. De posteriore errore non accusamus Illyri-  
cum: De priore autē coram tribunali Dei eum accusamus,  
pertinaciter defendit post tot admonitiones multorum do-  
ctorum in Ecclesia, & euidentes demonstrationes ex verbo  
Dei, peccatum originis non esse accidens vicium, sed natu-  
ram seu substantiam. Non existimo fore aliquem qui ali-  
quando

quando seriam cogitationem de hac controuersia induxe.  
rit in animum & libros Illyrici saltem adspexerit, qui du-  
bitaturus sit, num Illyricus is sit qui neget peccatum originis  
esse accidens. Sublato enim supercilio & magno eum sto-  
macho ponit in titulis librorum, eos esse Pelagianos qui di-  
cant peccatum originis esse accidens. Tantum non fulmina  
crepat, quando meminit saltem propositionis antagonista-  
rum, qui adserunt peccatum originis esse accidens. Sapè  
repetit sceleratè extenuari peccatum originis, quando dici-  
tur esse accidens. Vnum & alterum tantum locum adscri-  
bam: quid enim in re manifestissima pluribus testimonij o-  
pus est? Confess: prolix a pag: 312. Quomodo etiam posset Sa-  
tan tantas & tam varias res & opera per hunc efficere, si hic  
eius satelles peccatum originale esset tantum brutum quod-  
dam accidens? Item, in præfat: confess: vlt: facie. 2. Non  
sanè est quoddam fugax & volatile accidens ista origo &  
scaturigo illarum actualium culparum, sicut isti illud cum  
morbis, crassissimè errantes conferunt: Item confess: prolix a:  
fol: 1. Pestilentissimum errorem sophistarum originalem  
hanc iniustitiam extenuantium, & ad merum quoddam ac-  
cidens idq; separabile deducentium, impiè pernicioseq;  
confirmat. Audis Lector quantis debachetur conuicijs? Qui  
adserunt peccatum originis esse accidens separabile, eos di-  
cit pestilentissimum errorem sophistarum impiè confir-  
mare. Item: pag: 8: Vt hinc liquidò perspiciat primum quām  
tetra noxiaq; Originalis iustitiae & iniustitiae extenuatio  
totiusq; doctrinæ illius obscuratio sequatur dum vtrumq;  
horum mera quædam fugacia accidentia esse finguntur.  
Quis ergo fano iudicio prædictus dubitare potest num Illy-  
ricus neget cum Manichæis peccatum Originis esse acci-  
dens vicium?

N

Hæcenus

Hactenus ergò tanta evidētia demonstrauit nati-  
la sophistica infringi, eludi, aut refelli possit, quod Illyri-  
cus de peccato originis eadem dogmata cum furiosis Ma-  
nichæis adserat, publicè spargat & pertinaciter defendat,  
nimurum:

1. Quod peccatum originis sit substantia, essentia,  
natura hominis.
2. Quod in uno renato homine sint duas substantia-  
les formæ animæ, hoc est, duas animæ specie inter se diuer-  
fæ.
3. Quod vetus homo, & caro concupiscentia aduersus  
spiritum & pessima anima sit opus Satanæ principis tene-  
brarum.
4. Quod peccatum originis non sit accidens vicium.

Nec verò tantum ipsa Manichæorum dogmata refut-  
citat, spargit, & furenter obtrudit Ecclesiæ, verum etiam  
ipsas phrases Manichæorum, quæ apud Augustinum extant  
vñspat, vt se discipulum Manichæorum proberet. Nam &  
Manichæi yrserunt vocabulum substantia & naturæ in hac  
controversia; dixerunt malum originis esse substantiam &  
naturam; Impugnarunt vocabulum accidentis: negauerunt  
esse vicium naturæ, sicut & Illyricus negat; negauerunt esse  
morbum, & languorem sicut & Illyricus negat; contendere-  
runt Veterem hominem quod ad substantiam & carnem  
concupiscentem esse opus Satanæ principis tenebrarum, si-  
c ut & Illyricus loquitur & contendit. Adhæc non tantum  
dogmata & phrases, verum etiam argumenta vel potius so-  
phismata quibus Manichæi veritatem Ecclesiæ de peccato  
originis impugnarunt, vt ex Augustino liquido adparet,  
vñspat & virget Illyricus, ita vt cordato Lectori dubiu-  
m

esse non possit Illyricum à Manichæis armia sumplisse ad oppugnandam Ecclesiam veritatem.

Manichæi ut Faustus & alij obiecerunt Augustino locum pauli Rom: 7. de exteriore & interiore homine: & hinc probare conati sunt duas esse animas in uno renato Paulo, libro 24. contra Faustum; vbi verba Fausti recitan- tur.

Illyricus eundem locum Ro:7. cum Manichæis vrget ut obtineat, duas esse substantiales formas animæ in uno re- nato Paulo, ut supra vidimus.

Tanquam præcipuum fulcrum sui erroris Manichæi semper in ore habuerunt dictum Christi, arbor bona facit bonos fructus, & arbor mala facit malos fructus, & hinc extruere conati sunt quod malum esset quedam substancia & natura. Illyricus idem fulcrum arripit, & passim inculcat, & ita peruerit verba Christi Filij Dei: ac si docuis- set ille peccatum originis esse ipsam hominis substantiam, & naturam. Cum omnes sani videant magnum esse discrimen inter corruptum subiectum, & inter ipsam cor- ruptionem in subiecto. Recte dixit Christus totum hominem esse malam arborem, hoc est, funditus & penitus es- se corruptum, & non posse non malos producere fructus, Non autem dixit Christus hominem esse ipsum peccatum, ipsum malum, ipsam corruptionem.

Manichæi abusi sunt loco Ioan: 8. Vos ex patre Dia- bolo estis, & hinc adstruere conati sunt ipsos homines esse opus Diaboli, quo ad substantiam, ut testatur Augustinus tractatu 42. super Ioannem: Item de duabus animabus contra Manichæos Capite 7. Simili furore & amentia

Interpratur Illyricus Christi verba ac si hoc voluisset Christus, ipsos homines quò ad substantiam esse opus Satanæ. Item quando scriptura appellat homines filios Satanæ, contendit Illyricus cum Manichæis homines quò ad essentiam generatos esse à Satana. Manichæi deprauarunt dictum Pauli, caro & sanguis regnū Dei non possidebunt. Ut videre licet in Augustino libro II. cont: Faustum & alibi. Illyricus quoq; corrumpit hoc Pauli dictum iuxta Manichæorum errorem, quòd oporteat carnem tanq; opus Satanæ aboleri.

Iam tu pronuncia sententiam pie Lector, cum Illyricus dogmata & errores Manichæorum de peccato originis moribus teneat & defendere conetur, usurpet verba & phrases Manichæorum in eadem controversia, vtatur ijsdem armis, argumentis & sophismatibus ad oppugnandam Ecclesię veritatem, quibus vñ sunt furiosi Manichæi. An ouum ouo tam est simile, atq; in hac controversia Illyricus repræsentat Manichæos? An non iure coram tota Ecclesia de sacrilegio Manichæismo accusatur? Iudicent omnes pij præsertim qui cum aliqua attentione & mediocri diligentia Augustinum legerunt. Non ergò spes Illyrice quòd hoc grauissimum crimen abs te depellere possis protestationibus, negationibus, excusationibus, obtestationibus, inuersionibus, conuicijs, periurijs, clamoribus, & similibus artificijs. Protestatio contraria facta triplex est mendaciū. Per se enim est mendacium. deinde est fraudalenta excusatio peccati: Tertiò est impudens deriso Dei & Ecclesiæ. Multò igitur retractatione, & seria poenitētia liberares te à grauissimo crimen, cuius non solum insimularis, sed iam apud homines sanos & doctos, in primis apud eos quibus Augustinus mediocriter

diocriter notus est conuictus es, & ut dici solet ēπαυτοφύρο  
deprehensus.

Superest ut ad Rheticam & singulari artificio in-  
uentam inuersionem Illyrici aliquid respondeamus. Tanta  
enim calliditate instructus est noster hic sisyphus, ut cum  
ipse reus peragatur. Manichæismi, quia crimen hoc solidè  
à se repellere non potest, culpam omnem in antagonistas  
transferre conetur, & eos per reouentionem, quod rabulis  
visitatum est, de Manichæismo coram Ecclesia accuset. No-  
uit enim dictum: Calumniare audacter, semper aliquid hæ-  
ret. Et quia se purgare non potest, saltem ut turbet iudi-  
cium calumnia & clamore. Homines autem cordati facile  
intelligunt ex ista immani libidine calumniandi Illyricum  
nec veritatis conseruationem, nec salutem Ecclesiæ quære-  
re, neq; etiam timorem Dei in hoc certamine adhibere. Sed  
hoc unum agere ut quoquo modo obtineat palmam. Cum  
primum viderem in scriptis Illyrici eum nostræ parti aude-  
re obijcere Manichæismum ingenuè fateor vix me à risu  
continere potui: Ad iocos enim & pueriles lusus mihi de-  
lapsus videbatur ineptus disputator. Sed cum depræhende-  
rem eum magno conamine etiam moliri probationem, ad  
stuporem vsq; hominis & impudentiam & maliciam sum  
admiratus. Et tandem apud me statuere coactus sum Illy-  
ricum proiecta omni pietate & timore Dei, & deposito om-  
ni pudore & verecundia, totum se tradidisse impudentiæ &  
mendacio.

Qui enim tam impudenter contra suam conscienti-  
am mentiri audet coram Deo, & vniuersa Iesu Christi Ec-  
clesia, ne scintillam quidem veræ pietatis in eo residere ma-  
nifestissimum est. David enim inquit: Psalm:5. Perdes om-  
nes qui loquuntur mendaciū: & pro:19. Mendax testis non

impunè feret, & qui euomit mendacia peribit. Si pius Le<sup>t</sup>  
ctor expendat dogmata Manichæorum qualia recitantur  
apud Augustinum, & deinde consideret nostras confessio-  
nes, facile depræhendet nos cum Augustino furores Mani-  
chæorum & Illyrici solide ex verbo Dei refellere.

Etsi igitur indigna sunt sophismata Illyrici in qui-  
bus refellendis multum temporis ponatur: tamen quia ali-  
quoties hanc calumniam repetiuit cum insano & super-  
bo clamore, nihil vñq; ad hoc argumentum responsum es-  
se, neq; etiam quidquām posse responderi, vt retundamus  
istos clamores, respondeamus etiam hoc loco: septem ponit  
ratiocinationes, eas videamus ordine & ad amissim verbi  
diuini examinemus.

Primum, inquit, volunt isti originale istud malum  
esse rem quampiam potentiamq; prorsus à solo Satana ef-  
fectam, ita vt quacunq; demum ratione eam consideres,  
non possis dicere, eam etiam à Deo esse. Cum verò sit  
maxima quædam vis potentiaq;, vt quæ potentissimè si-  
mul & aptissimè malitiosissimeq; supra totum hominem,  
sieu potius supra totum genus humanum perpetuò durans  
regnet, neceſſe sanè est eius istum tantum effectorem, qui  
cam solus sua sapientia & potentia (vt isti volunt) effecit,  
esse quendam conditorem. Cui enim prorsus soli tantum  
opus aut effectum, perpetuò durans & regnans, naturæq;  
hominum toti congenitum tribuas, ei sanè frustra condi-  
toris nomen adimere conaberis. Eodem facit quòd ip-  
si negant, istam eandem regnantem vim potentianue, aut  
reginam totius hominis vel propagari, vel conseruari à  
Deo, tanquam prima causa. Restat ergo, vt à Diabolo, si  
icut primum secundum istos condita est, ita nunc quoq; in  
ytero matrum propagetur, & porro in singulis hominibus  
conuer-

conuertuntur? Nēq; enim secundæ causæ, cuiuscunq; tan-  
dem generis sunt, possunt sine prima vel consistere vel a-  
gere. In illa prima omnia alia sunt, existunt & mouen-  
tur. Acto. 17. Coloss. i. Non etiam eos excusat, quo minus  
e cogantur statuere Satanam autorem & effectorem istius  
tām potentis reginæ hominis, quod clamant esse accidens,  
necessariō nempe intelligens congenitam qualitatem;  
Nam talia accidentia non minus sunt creaturæ, quām sub-  
stantiæ. Hactenus Illyricus.

Ecquid tibi videtur pie Lector, an non satis proba-  
uit Illyricus nos cum Manichæis sentire? An verò Satanicam  
suam blasphemiam de conditore Satana repetiuit?  
Cerè dissimulandum non est quod toties conuictus & re-  
futatus, tamen non veretur obtrudere Ecclesiæ tām im-  
manem errorem. Audi verba Illyrici. Repetere enim co-  
gimur eius blasphemias, ut eas ex Ecclesia Christi exter-  
minemus. Cui enim prorsus soli (inquit) tantum opus aut  
effectū perpetuō durans & regnans naturæq; hominum toti  
eogenitum tribuas, ei sanè frustra conditoris nōmē adime-  
re conaberis. Quid ais sacrilege & blaspheme impostor, rur-  
sus obtrudis tuos vomitus Ecclesiæ de Satana conditores?  
Tota sacra scriptura testatur Satanam esse authorem pecca-  
ti originis. Vniuersa Ecclesia Dei fatetur Satanam esse au-  
thorem peccati originis: Tu ipse licet totus cum Manichæis  
insanias, negare non potes Satanam esse authorem peccati  
originis. Ergo ne tu inferre sacrilego tuo stylo audes Sa-  
tanam esse conditorem? Quamdiu feret Ecclesia Iesu Chri-  
sti has tuas immanes blasphemias? Cur non saltem ciui-  
des leges rectè contra futiosos Manichæos constitutas me-  
tuis, si Deum omnino non metuis? Simulas alicubi te ab-  
lecisse errorem de creatore Satana.

At h̄c prodis te tuo indicio quōd detestandam istam  
blasphemiam adhuc in sinu tuo foueas, siquidem dicas ne-  
cessē esse authorem peccati originis esse quendam con-  
ditorem: Item authori peccati originis frustra adimi no-  
men conditoris. Dominus Iesus obturet hoc blasphemum  
os. Peccati originis anhor est Satanas, sicuti Christus ex-  
presse fatetur. Ioan:8. Diabolus ab initio peccat & est pater  
mendaci. Item: Gen: 3. Quia fecisti hoc, sis maledictus: sed  
hinc colligere quōd Satan sit conditor, nemo nisi sacrile-  
gus Manichæus audet. Deus inquit in Iesaia de creatione:  
gloriam meam alteri non dabo. Peccatum originis non est  
quædam substantia positiva, sed est priuatio boni: & cor-  
ruptio substantiæ, sicuti Ambrosius in hexaem; loquitur:  
Non vtiq; substancialis, sed accidens est malicia, quæ à na-  
turæ bonitate deflexit. Et rationem hanc ponit Ambrosius  
& reliqui orthodoxi, cur non necesse sit ponere creatorem  
peccati vel maliciæ; quia malicia non sit viua substantia,  
sed mentis atq; animi depravatio. Negat etiā disertè Am-  
brosius quōd malicia ullam creaturæ prærogatiuam habe-  
at, sed furiosus Illyricus & nouus sacrilegus Manichæus no-  
ua cudit dogmata: contendit peccatum originis esse creatu-  
ram. Verba Illyrici sunt: Nam talia accidentia(de peccato  
originis loquitur: )non minus sunt creaturæ, quām substan-  
tiæ. Mentiris noue Manichæ. Accidentia quæ sunt priua-  
tiones, & defectus, vt sunt vitia, peccata & in primis pecca-  
tum originis, non sunt creaturæ. Nemo nisi furiosus Mani-  
chæus dicit peccatum originis esse creaturam. Omnis enim  
creatura Dei bona est teste Paulo 1. Timoth: 4. sed pecca-  
tum originis est res pessima: Ergo peccatum originis nullo  
modo est dicenda creatura. Anathema sit qui dicit pecca-  
tum originis esse creaturam Dei. Quid verò est quod in ista  
blasphema

blasphema ratione in nobis repræhendit Illyricus? Isti, (inquit nimis Heshusius, & qui cum Heshusio obser-  
stunt impietati Illyrici in hac controværia,) volunt origi-  
nale illud malum esse rem quampiam prorsus à solo Satana  
effectam, ita ut quacunq; eam ratione consideres, non possis  
dicere eam etiam à Deo esse. Quid ergò tune Illyrice hanc  
piam sententiam impugnas? Tu ne audes in Ecclesia Iesu  
Christi, & coram pijs auribus contrarium adserere? Imò in-  
quit. Quando vos dicitis peccatum originis esse à solo Sata-  
na tūm vos estis Manichæi. Ego verò Illyricus dico pecca-  
tum originis esse à Deo. O tempora Ecclesiæ, O horrendam  
Satanæ audaciam, O detestandam Illyrici proteruiam &  
impudentiam. Evidem credo multis seculis detestandam  
hanc vocem in Ecclesia non auditam esse peccatum originis  
esse creaturam: & peccatum originis esse à Deo quando  
præfertim de causa efficiente queritur. Et peccatum origi-  
nis propagari & conseruari à Deo. Increpet Deus te Sata-  
nam, & obturet hoc tuum blasphemum os. Quid enim te-  
stimonijs scripturæ in re tam manifesta opus est. Pij meritò  
toto corpore cohorrescunt quando audiunt vel legunt tam  
horrendas Illyrici blasphemias. Habent enim in conspectu:  
Non Deus volens impietatem tu es: Psalm 5. concupiscen-  
tia carnis non est ex Patre, sed ex mundo. 1. Ioani; 2. Pia &  
sancta est vox Beati Augustini libro de duabus animabus  
cont: Manichæos. Viciorun authorem Deum nemo nisi sa-  
crilegus diceret. Quia ergò Illyricus contendit, vicia nature  
esse à Deo: & sicuti in blasphemassua confessione dicit, quod  
Deus omnes malas qualitates, & omnia mala accidentia  
creet in homine: & hoc loco contendit peccatum originis  
non esse à solo Satana, sed etiam à Deo: Et peccatum esse  
creaturam: irrefragabiliter sequitur teste Augustino Illyri-

O

cum

cum esse sacrilegium hæreticum qui Deum ponit authorem  
peccati. Et in hoc errore peior & furiosior est omnibus Mal-  
nichis. Constanter ergo contra calumniam Illyrici adseu-  
ro cum de causa efficiente peccati originis quærerit pecca-  
tum originis non esse à Deo, sed à solo Satana, & à volun-  
tate hominis. Et sic credit vniuersa Iesu Christi Eccle-  
sia. Anathema μοργανωθε, qui dicit Deum esse vel autho-  
rem vel conditorem peccati originis. Repete hic animo  
& analysi, & antidotō sim argumentatus in hunc modum:  
Si peccatum originis est substantia tūm necesse est aut Deum  
statuere authorem peccati, aut Satanam conditorem. In alte-  
rā blasphemiam necesse est ruere Illyricum si mordi-  
cūs retinebit hanc propositionem, peccatum originis est sub-  
stantia. Hoc sanè liquidò hic demonstrat Illyricus. Imò in  
utramq; blasphemiam hic fese precipitat. Nam singit pecca-  
tum originis & à Satana esse, & à Deo, & esse creaturam. Er-  
gò iuxta Illyricum & Satanam est conditor: & Deus erit au-  
thor peccati. Domine Iesu reptime tantas blasphemias  
Hanc Illyrici blasphemiam & alij docti & pij homines de-  
prehenderunt, quemadmodum reverendus & clarissimus  
yis Doct: Simon Musæus sacer meus carissimus, qui Illyri-  
cum antea plurimi fecit, & ardenter complexus est, sed nūc  
dextrum oculum euellere cogitur propter eius blaphemias,  
idem in hoc certamine deprehendit, & in sua sententia  
de hac controversia obiectit Illyrico quod aliás Satanam  
constituar conditorem, aliás Deum faciat authorem pecca-  
ti: Propter quas blasphemias perspicue & constanter dete-  
statur Doct: Musæus impium Illyrici dogma. Attendant er-  
gò pij, & caueant sibi, ne se societate blasphemie Illyrici  
contaminent. Biusdem blasphemiae est quod dicit pecca-  
tum

tum originis, quod nominat reginam totius hominis, propagari & conseruari à Deo tānq; à prima causa. Mentiris illi lyrice. Deus enim sanctissimus non est minister Satanæ, qui conseruet & propaget opus ipsius. Imò Filius Dei venit ut destruat opus Diaboli: quomodo ergò Deus illud propagaret? An non saltem humanus pudor te à tām horribili contumelia Dei reprimere debebat? Defectus ut non habet conditorem, ita nec conseruatorem: Vicium verò in homine propagatur per hominem: Deus nullo modo dicendus est prima causa peccati: substantię quidem hominis conditor, causa prima, effector, conseruator & propagator est Deus; sed vicij originalis, seu peccati nec conditor, nec causa prima, nec effector, nec propagator, nec conseruator est Deus. Ratiocinatio Illyrici est huiusmodi. Heshusius adfirmat originale malum esse à solo Satana: sed peccatum originis est res tām potens ut necesse sit statui eam esse creaturam, & habere cōditorem. Ergò Heshusius docet Manichēismum, Respondeo: nego minorem quę est segmentū, & destrumentū imò blasphemia Illyrici, pugnans cum vniuersa sacra scriptura: peccatum enim non est creatura: nec est ab ullo conditore; quia est defectus & priuatio boni. Manichēorum monstra profert Illyricus. Constanter dico peccatum originis non esse a Deo, sed esse à Satana inuestum; serpens enim seduxit Euam, inquit Paulus.

Secunda Illyrici cauillatio & calumnia sic habet: Verba enim eius repetenda sunt, ut Lector expendat horribilem eius & sophistiken & impudentiam.

Secundò. Augustinus s̄epissimè simul ac vehementissimè contendit, non nisi ex bonis naturis mala oriri: quod quidem ille adeò vrget, ut neget sine hoc fundamento Manichæis resisti posse. At isti nullo modo volunt, originale

peccatum per Inuersionem aut transformationem primi hominis esse effectum: Nequaq; etiam concedunt opera aucto-  
ratus Dei fieri vlo modo posse peccata: sed distinguendam esse omnib; modis bonam Dei creaturam, ab opere aut  
re effecta à Satana: alioquī si dicetur , Dei opus aut creatu-  
ram esse effectam peccatum, omnino fecuturum, vt Deus sit  
author peccati. Cæterum quò tantò certius appareat,  
quantopere istam sententiam Augustinus damnet, verba  
eius quædam adscribam, Sic autem inquit: Laborat Mani-  
chæus, vt ostendat ex bono Dei opere malum oriri non pos-  
se: vt (quod ipse vult) malum nisi ex malo oriri non posse  
credatur. Et , Manichæus, quem verbis istis tuis sic adiuuas,  
vt nihil magis optet audire, quām mala ex bonis esse non  
posse. Hoc enim accepto infert, & dicit tibi, Si malum ex  
bono esse non potest, vnde erit nisi ex malo? Item, Si autem  
dixerimus non oriri mala nisi ex malis, Manichæa pesti len-  
tia triumphat; Deniq; concludit inquiens, ita hunc fidei ad-  
uersarium dici non potest, quantum adiuuet, qui mala ex  
bonis oriri negat. Talia dicta sunt planè innumerā in Au-  
gustino. Haec tenus Illyricus.

Hic sanè videri vult antagonista quod non prorsus ignotus illi sit Augustinus. Tantò igitur certius statuat Lector  
eum pessima conscientia agere hanc causam. Nisi enim quis  
destituatur sensu communi , statim in Lectione Augusti  
ni deprehendere potest eum à nefario dogmate Illyrici  
alienissimum fuisse, Sed nunc ratiocinationem de Mani-  
chæismo videamus. Augustinus contendit non nisi ex bo-  
nis mala oriri: quod negabant Manichæi. Et isti nullo mo-  
do volunt peccatum originis per inuersionem & transfor-  
mationem primi hominis esse effectum. Nullo modo etiam  
concedunt opera aut creaturas Dei posse fieri peccata. Re-  
spondeo.

spondeo, admodum maliciofa hæc est sophistica. Nunq;  
ego negauit mala ex bonis oriri: scio enim per Dei gratiam  
ex angelo lucis factum esse angelum tenebratum: scio bo-  
nam voluntatem Adæ lapsam esse & peccasse: peccata igi-  
tur ex bonis sed mutabilibus Dei creaturis exorta sunt. Et  
sic piè sensit Augustinus contra Manichæos qui contende-  
bant, ex bonis naturis non posse oriri mala, ut peccata &  
mortem: ideo fingebant contrariam mali naturam Deo cæ-  
ternam. Hunc Manichæorum errorem ut repellat sæpè re-  
petit Augustinus mala oriri ex bonis: quia res creatæ ex ni-  
hilo sint mutabiles, & solus Deus fit immutabiliter bonus.  
Voluntas Diaboli, & hominis initio bona fuit, sed vtraq;  
deficiens à Deo corrupta est & protulit peccatum. Quid  
verò hoc ad deliramentum Illyrici de substantiali trans-  
formatione? Proorsus nihil: attende saltem, Lector: liquidò  
aperiam tibi præstigias Illyrici. Manichæi sic argumenta-  
bantur, arbor bona nō potest malos fructus producere. Ergò  
ex bonis naturis peccata oriri non potuerunt. Augustinus  
opponit. Imd bonæ naturæ conditæ ex nihilo sunt mutabi-  
les, & possunt corrumpi: Ergò ex bonis mala oriri possunt.  
At Illyrico non est satis hominem iustum & rectum cor-  
ruptum esse, & peccatum commisso: sed is quām longissime  
ab Augustino recedit; singit enim hominem non solum mu-  
tatum, sed per Satanæ transformationem abolita priore  
specie & substantiali forma in nouam speciem conditum &  
transformatum esse. Hoc portentosum dogma Augustinus  
nusq; pinxit, aut finxit, nusq; dixit aut scripsit: De qualita-  
rum hominis mutatione multa extant apud Augustinum:  
Sed quod ipsa hominis substantia in ipsum peccatum sit  
mutatum: quod Satan essentialiter transformauerit homi-  
nem in substanciali suam imaginem: quod forma homi-

nis substantialis, in qua conditus fuit, sit abolita, quod Satan per nouam transformationem nouam substantiali-  
formam hominis introduxerit & efficerit. Quod peccatum originis sit noua quædam creatura. Quod homo  
corruptus quod ad substantiam sit opus Diaboli: Hæc in-  
quam portenta nusq; extant apud Augustinum: sed poti-  
us contrariæ sententia apud eum reperiuntur, ut supra mul-  
tas recitauit. Ingens itaq; discrimen est, inter sententiam  
Augustini: mala orta esse ex bonis: quod nos etiam inge-  
nuè fatemur & docemus: nec ignotum hoc esse potest Il-  
lyrico. Nam in seruo arbitrio & alijs libris disertè doceo A-  
damum conditum esse ad imaginem Dei in iustitia & san-  
ctitate vera sine peccato: & tamen à Deo defecisse & in  
peccatum lapsum esse: & inter figmentum Illyrici de es-  
sentiali inuersione & transformatione: ita ut substantia ho-  
minis mutata sit in ipsum peccatum & nouam speciem di-  
uersam à priore. Extrema impudentia est yelle tale porten-  
tum adstringere Augustino, à quo doctor ille fuit alienissi-  
mus. Multis in locis negat Augustinus substantiam, for-  
mam, animam, carnem, naturam hominis, licet corrupti &  
impij, esse opus Satanæ: testimonia supra citauit. Quomodo  
ergo probaret Illyrici substantialem transformationem,  
quæ dicit ipsum hominem corruptum esse opus Satanæ? Ex  
nugamentum: Et tamen Illyricus tam insignis est contortor  
verborum, ut ex diametro inter se pugnantia mirabili arti-  
ficio conciliare possit. Verum hac fraudulenta & impia so-  
phistica nihil aliud obtinet, nisi quod prodit suam impieta-  
tem, & in omnibus bonis odium sui accedit & meretur.  
Cordati enim Lectores vident nihil eum præter calumnias  
adferre: Quod bona Dei creaturæ fieri possint ipsum pec-  
catum

atum originis : Illyricus ex Augustino nūnq; docere pō-  
test. Contraria autem sententia quam Illyricus sugillat &  
impugnat , videlicet creaturas Dei ab operibus Satanæ di-  
stinguendas esse , multis modis ex Augustino demonstrari  
potest. In libro de nuptijs & concupiscentia contra Iulia-  
num hunc sibi scopum præfigit Augustinus.

Intentio igitur huius libri hæc est , vt quantum nos  
dominus adiuuare dignatur carnalis concupiscentiæ ma-  
lum , propter quod homo , qui per illam nascitur , trahit o-  
riginale peccatum ; discernamus à bonitate nuptiarum .  
Et deinde in hoc & alijs libris sæpiissimè inculcat & vt-  
get : Hominem ipsum qui ex coniugio nascitur , vt opus  
Dei , esse discernendum à peccato originis quod est opus  
Satanæ . Hæc cum in Augustino totis voluminibus tra-  
tentur , & manifestissima sint , monstri simile est Illyricum .  
Eo audaciæ abripi vt fingere ausit Augustinum non distin-  
xisse bonam Dei creaturam ab opere Satanæ . Sequitur ter-  
tia catillatio .

Tertio (Inquit) isti vehementissimè negant & perne-  
gant posse bonas Dei creaturas essentialiter commutari  
in malum , vociferantes Diabolum non posse nouas essen-  
tiales formas creare & hominibus infundere : At Augus-  
tinus contra acerrimè contendit , creaturas esse conditas  
commutabiles , easq; sic corrumpto in malum mutari &  
transformari .

Cum nihil solidi habeat , oblectat se non vix ad fal-  
lendum tempus : quid opus erat numerorum distinctione ,  
cum 2 : 8 & 3 : loco eadem calumnia iteretur . Hoc ipsum sa-  
nè est quod vrgeo . Non posse ex Augustino doceri , multò  
minus ex verbo Dei , quod Diabolus essentiales formas cre-  
et & hominibus infundat : sic etiam non potest ex Augusti-

no doceri, quod creaturæ Dei essentialiter transformatur  
in peccatum originis. Permanet enim (inquit Augustinus  
libro 2. de peccato originis Capite 40.) Dei opus bonum in  
quantiscunq; malis operibus impiorum : si manet opus Dei  
bonum, nimirum substantia, forma, anima, ratio ut libro &  
pag: seq̄ente ipse Augustinus sese delcarat, in quo quis pecca-  
to, quomodo mutatur essentialiter in peccatum originis &  
opus Satanae? O Illyrice quam graue iudicium Dei subiturus  
es, quod tam petulanter & periunaciter contra tuam ipsius  
conscientiam falsas sententias adsingis Augustino quas in  
tota vita tua nunq; in isto authore legisti: Imò cum tibi ex  
diametro cum tuis figuris pugnantes sententiae in Augu-  
stino monstrantur. Commutabiles esse creaturas recte dixit  
Augustinus: sed nec dixit, nec scripsit, creaturas in nouam  
formam substantialem à Satana transformari, ita ut opus  
Dei fiat opus Satanae. Profer Illyrice si potes vnam sylla-  
bam in hanc sententiam ex toto Augustino: hoc scilicet ad  
calendas græcas præstabis. Obserua autem rursus Lector, si  
iuxta Illyricum Diabolus potest essentialis formas (nimi-  
rum animæ) creare & hominibus infundere; an non disertè  
statuitur creator? Qui creat nouas formas substantiales a-  
nimæ est ne creator? Ita fouet adhuc in sinu blasphemum  
dogma de Satana creatore, & tamen horribiliter irascitur,  
quod de ista blasphemia coram Ecclesia accusatur. Quia  
Augustini patrocinio prorsus destituitur ad suas ineptias,  
de formis essentialibus, quæ possunt fieri per artes, delabi-  
tur: quas ineptias imò blasphemias domum ei remittimus.  
Nulla enim creatura nec Satan nec homo potest substantia-  
lem formam indere ylli creaturæ. Hoc enim ad creationem,  
pertinet. Nos Dei beneficio aures habemus ad audiendum  
verbum Dei, sed ad portenta & blasphemias Illyrici obtu-  
ramus

ramus aures nostras, sicuti polycarpus solitus est obstruere  
aures suas ne audire cogeretur blasphemias Marcionis.

Quarto (inquit Illyricus) Manichæi teste Augustino  
docebant, bonam istam hominis naturam, non inuersione  
aut transformatione in malum, sed infusione mali à malo  
genio effecti, eiusq; permixtione & participatione malam  
esse effectam. Verba Augustini contra Iulian: libro i. inter  
alia hæc sunt: Natura hominis maliciam capit, non partici-  
patione mali, sed priuatione boni, id est non commiscetur  
alij naturæ, quæ aliquod malum est: quia nulla natura, in  
quantum natura malum est: sed quia deficit à natura, quæ  
summum & incommutabile bonum est. Propterea, quia  
non de illa, sed de nihilo facta est, Alioqui nec malam vo-  
luntatem habere posset, nisi mutabilis esset. Hactenus Au-  
gustinus. Sic & isti nusq; non inculcat, quomodo Originale  
istud malum ab extra infusum sese immiscuerit & insinua-  
uerit in hominem, ita vt etiam minutissimas particulas &  
guttas sanguinis peruerterit, penetauerit, suaq; fœditate  
contaminauerit & infecerit conspurcaueritq;.

Pluribus scriptis suis inseruit Illyricus hanc calum-  
niam, & quanq; in sua conscientia intelligit se nobis iniu-  
riam facere, tamen petulanter pergit, & vociferatur nunq;  
sibi ad hoc argumentum esse responsum. Attendant igitur  
veritatis studiosus Lector, fingebant Manichæi duas esse  
diuersas naturas boni & mali: & malum esse contrariam  
substantiam. Quando ergo de corruptione hominis loque-  
bantur, dicebant ex permixtione bonæ & malæ substantiæ  
id esse, non ex priuatione boni. Augustinus portentum il-  
lud Manichæorum retundit, & docet non ex participatione  
vel commixtione cum mala substantia, corruptum esse ho-

P

minem

minem, sed ex commutatione quod bona voluntas defecit à Deo & corrupta est.

Quis verò nostrum hanc piam Augustini sententiam impugnauit? Quis nostrum vniq[ue] probauit delitium Manichaeorum de commixtione duarum substantiarum bonae & male? Reddes aliquando rationem Illyrice de hoc impudenti figura? sed inquit, An non vos dicitis peccatum accessisse ad hominem: & Satanam virus suum infusisse, ita ut omnes partes hominis peruerterit? Respondeo. Et Augustinus & Lutherus sæpiissime hac metaphora vtuntur, qua peccatum originis nominant virus, ut lib: hypog: 4. contra Pelagianos, sicut nunc in peccatore serpentis flatu pestiferum venenum infligit, & per illud mori compellitur, & à Marso, id est, incantatore inspeetus afflatius dicitur, quia serpens illum, inquit, afflauit, & statim pro salute eius parat antidotum quo possit venenum superare: ita tunc in peccante Adam, cum serpenti, hoc est, Diabolo magis suadenti quam Deo præmonenti ne faceret, se se incautus præbuisset, auertente se ab illo irato Deo, fraudifero flatu venenosa & mortifera libido inficta est, tanto eum deinceps opprimens dominatu, ut etiam peccare volentem, si velle, incitaret inuitum. Hinc peccator, hinc inficiatus vitiolusq[ue] factus & dictus est, hinc priuationem meruit vita. Contra hoc venenatum malum ne præualeat, misericordia inspiciente Dei remedium, id est, antidotum, per Iesum Christum donata est gratia, ne omnis homo penitus interiret.

Vides Illyrice Augustinum vocare peccatum originis venenum, quod Satan Adæ afflauit? Idem Augustinus libro 2, contra Julianum cum Ambrosio aliquoties

mostram

¶

appellat

appellat peccatum originis venenum pestiferum serpentis.  
Sic & Lutherus sanctæ memorij peccatum originis appellat venenum Diaboli: In Gen: Cap. 4: Pag: 69. Ac manit etiam in natura corrupta generatio, sed accessit illud venenum Diaboli, pruritus carnis & fæda libido: quæ variorum incommodorum & peccatorum causa est. Item Lutherus in Gen: Capite 42. fol: 106. peccatum originis vocat profundum venenum in anima & corpore. Item Lutherus: in Gen: Cap: 3. Pag: 54. Quid de homine dubitabimus, qui ipse peccatum & peccati venenum à Satana infusum hæsit. Prodi ergo nunc in conspectum Ecclesiae & accusa si audes (audacia enim tuæ nullum finem ponis) Augustinum & Lutherum Manichæismi: Quid contra me blateras? En tibi profero præstantes Theologos Augustinum & Lutherum, quibus familiare fuit peccatum originis vocare Venenum: Et tamen neuter de Manichæismo est suspectus. Non tantum igitur calumnia Illyrici manifesta est: Verum etiam domestico testimonio se prodit, quod nouum genus doctrinæ ignotum Augustino & Luthero fabricet. Quod suggillat Illyricus phrasin peccatum originis esse venenum adfusum à Satana, quod penetravit medullam & sanguinem hominis, Lutherum in eo flagellat, qui sic locutus est in concione de Iesu Christo to: germ: 3. & alibi sape. Frequentis enim est Illyrico Lutheri enarrationes, phrases, & dogmata impugnare acerbissime ut ille solus pro novo Propheta habeatur. Nos vero pluris facinus Lutheri auctoritatem, quam Illyrici noui Manichæi furores.

Obserua etiam Lector quam foeda sit calumnia, quod Illyricus ex eo quod peccatum originis cum Augustino & Luthero venenum nominamus, adfusum à Satana, singit nos statuere peccatum esse quoddam substantiale

malum immixtum bonæ naturæ hominis. Non dubito quin omnes pii & honesti homines, magno cum zelo detestentur libidinem calumniandi in Illyrico, scopus totius disputationis nostræ est ut contra Manichæum Illyricum ostendamus peccatum originis non esse substantiam sed accidens vicium.

Et tamen audet iste impudens homo obijcere com-  
mixturem contrariarum naturarum quam fixerunt Mani-  
chæi. Virus quidem substantia quædam est, sed hinc non se-  
quitur etiam peccatum originis à nobis adseuerari sub-  
stantiam. Visitatissimum est enim de ijs rebus quæ substantiæ  
sunt similitudines adhiberi ad declarandas res quæ non  
sunt substantiæ: sic Lutherus peccatum originis confert fer-  
mento, in Gene: Cap: 42. Nec tamen Lutherus vñq; somnia-  
uit peccatum esse substantiam sicuti est fermentum: Augu-  
stinus fruticem Diaboli nominat peccatum originis, qui  
proferat pessimos fructus & tamen testatur non esse substani-  
am, cum nemo ignoret fruticem esse substantiam: & de-  
fendit se rectè adhibuisse de frutice sumptam metaphoram.  
lib: 6. cont: Iulianum: Cap: 8. Propter quòd ego vicio quòd  
generi humano Diabo: tanq; vulnus infixit, quamvis nullo  
modo substantia sit, rectè tamen adhibui de substantia si-  
militudinem, vt fruticem dicerem & fructus eius vicia cum  
quibus homines nascentur. Audis Lector visitatum esse do-  
ctis metaphoras petere à rebus quæ sunt substantiæ, ad de-  
clarandas res quæ non sunt substantiæ. Audis apud Au-  
gustinum peccatum originis vocari venenum adflatum à  
Satana, apud Lutherum venenū adfusum homini à Satana,  
quod totam medullam ossium penetrauit. Audis peccatum  
appellari apud Augustinum labem, morbum, languorem,  
ægritudinem, infirmitatem, vulnus, fruticem, radicem vitia-  
tam &

tam & similia, & tamen in Ecclesia Iesu Christi caret vterq;  
doctor suspicione Manichæismi. Liquido ergò patet meras  
calumnias ab Illyrico in medium allatas esse.

Quintò (inquit) isti vehementissime contendunt ori-  
ginale malum esse quiddam separabile, re simul ipsa & eti-  
am cogitatione, ab ista ipsa præsenti prava essentiali forma  
corrupti hominis. Sic & Manichæi dixerunt, quod si res  
plane diuersa ab hac præsenti natura, eoq; ab ea omnino se-  
parabilis.

Per latus Heshusij confodere conatur Illyricus Lu-  
therum & Augustinum. Vterq; enim fatetur peccatum ori-  
ginis esse separabile malum. Verba Lutheri sunt: in Gene:  
Cap: 38. fol: 31. Sunt enim peccatum & mors separabilia ma-  
la: sic Augustinus defendit sententiam Basiliij Illyrico non  
ignotam, cont: Julianum lib: i, qui dixit malum originis fa-  
cile posse à substâlia hominis separari, vt subiecta voluntati  
substâlia munda possit per omnia possideri. Et quidem  
exponit sententiam Basiliij Augustinus, quod facile sit  
non humanæ voluntati, sed misericordia Dei separate ma-  
lum originis à substâlia hominis.

Tu ne igitur impuro ore tuo Illyrice præstantes il-  
los Theologos Manichæismi audebis coram Ecclesia insi-  
mulare? Legit alicubi Illyricus in Augustino Manichæos  
docuisse malum esse quiddam separabile; hic mox adsuit  
ille suam calumniam: cum discrimin sententiarum Eccle-  
siæ & Manichæorum facile potuisset depræhendere si ocu-  
los aperire voluisset. Manichæi sic dicebant malum originis  
esse quiddam separabile, vt maneret quiddam per se sub-  
sistens cum esset ex homine purgatum, quemadmodum cla-  
re ostendit Augustinus. lib: 3. cont: Julianum; Capite 21. Sed  
quod potius cupimus, confitearis malum, contra quod bel-

sum geres, ut eo non ita separato, quasi alia natura sit, sed  
in te omni ex parte sanato in perpetua pace læteris. Item,  
libro 2. contra Iulianum. Non a nobis hæc vicia separata  
alibi erunt, sed in nobis sanata nusquam erunt. Tale er-  
gò malum separabile finixerunt Manichæi quod purga-  
tum ex homine mansurum sit alicubi, nimisrum in globo  
tanquam in carcere sempiterno. Augustinus ad Quod-  
pult Deum. At Augustinus, Lutherus, & cum præcepto-  
ribus suis Heshusius, sic dicunt malum originis esse sepa-  
rabile, ut ex corpore & anima hominis purgatum & ex-  
tersum nusquam sit futurum? Delebitur enim penitus, vt  
accidens vicium, & opus Satanæ. Et vt sacra scriptura ait  
projicietur post tergum Dei, & submergetur in profun-  
dum maris. An illa aranea ita posset ex se fila texere, vt Il-  
lyricus ex se fingit calumnias?

Sextò (inquit Illyricus) Manichæi contenderunt o-  
riginale peccatum esse quiddam ab extra adueniens, non  
autem in ipso Adamo effectum: Item quòd sit quiddam de-  
struens & perdens hanc ipsam præsentem hominis formam  
aut existentiam. Hic & ipsi perpetuò contendunt. Originale  
peccatum esse quoddam venenum, toxicum, philtrum, ster-  
cus & similia, quæ sint à Satana infusa in primos parentes,  
eosq; totos infecerint, contaminauerint, & conspurcae-  
rint, ac intoxicauerint.

Numeros diuersos ponit Illyricus ut saltem attronitum  
teneat Lectorem & fascinet eum, si potest: alioquin nihil  
rerum adfert. Idem enim quod supra cauillatus est nunc re-  
petit. Respondeo autem planè. Manichæi fingeant  
malum esse quiddam substantiale quod extitisset ante ho-  
minem, & deinde cum hominis natura esset commixtum.  
Quis nostrum vñq; hoc vel dixit vel pinxit, vel scripsit?

Menda-

Mendacia ista sunt Illyrici. Quod verò peccatum dicitur accessisse, & accessisse ad hominem cur calumniatur hereticus. Certe Adam sine peccato fuit conditus. Accessit igitur peccatum. Et sic Augustinus & Lutherus locuti sunt: Luth: in Gen: Cap: 4. Ac mansit etiam in natura corrupta generatio, sed accessit illud venenum Diaboli. Augu: lib: 1. cont: Iulianum: si autem accessit (inquit Basilius) & principium accessionis non substantiam habuit sed voluntatem, facile potest malum à substantia separari. Et addit hæc Basilius verba rectè intelligi de ipso malo, quod per Adam intravit in mundum, & per omnes homines pertansit quia & ipsum accessit naturæ humanae.

Clare audis Lector Augustintum & Lutherum fateri quod peccatum originis quod per unum hominem intravit in mundum, accesserit ad naturam humanam. Vides ergo quam impudens sit calumnia Illyrici, qui audet Augustino & Lutheru impingere crimen Manichæismi: somnio suo de induvio maculato oblectet se Illyricus: nam somnia & calumniae plus apud ipsum valent quam perspicua scripturæ testimonia,

Nos Dei beneficio de peccato originis non somnia nec Manichæos furores profitemur, sed confessionem edimus fundatam in scriptis Propheticis & Apostolicis, fatemur corpus & animam penitus peccato infectam & depravatam esse: fatemur hominem in delictis mortuum esse: fatemur in homine à vertice capitis usq; ad plantam pedis nihil existere sani: fatemur totum hominem esse tenebras, sed Illyrici Manichæos furores & errores simul execramur.

Postremo (inquit Illyricus) sicut Manichæi planè ignorarunt,  
P 4

norarunt, illud ineffabile beneficium regenerationis, viuificationis, & nouæ creaturæ in Christo, tantumq; egerunt de quadam separatione istius commentitij immixtiq; mali, & de qualicunq; ablutione contaminatæ naturæ; Sic & isti ea, quæ dicuntur de essentiæ ipsius regeneratione, nouiq; cordis ac hominis creatione, ac omnino de hominis resuscitatione, extremè extenuant, tantumq; volunt fieri quandam ablutionem naturæ ab illo ipsorum stercore & toxicō, & meram accidentium alterationem. Etiam si verò interdum aliquid grandius dicunt coacti à scriptura, tamen postea rursus eodem relabuntur, suis sophisticis disputationibus, veriorisq; sententiæ damnatione.

Quòd Manichæi non intellexerunt beneficium regenerationis & renouationis facile concedo. Quòd verò nos doctrinam Apostolorum de regeneratione, viuificatione, sanctificatione, noua cordis creatione, renouatione & resuscitatione non rectè exponamus, sed ut ille calumniatur extreme extenuemus impudens & manifestū est mendacium.

Inspiciat Lector nostra scripta ut librum meum defenso arbitrio argumento 7. Item conciones meas de divinitate & beneficijs Sp̄iritus sancti : Item conciones de iustificatione. Item, explicationem Epistolæ Pauli ad Romanos Cap: 5. Item, Antidotum meum , fundamento 16. Hæc & similia loca cum inspicerit pius Lector tum iudicet de virulenta Illyrici calumnia, num ego beneficium regenerationis extenuem : Verum sic se r̄es habet quisquis non statim adplaudit furoribus Manichæis Illyrici, hunc vociferatione sua suspectum facere cupit, ac si extenuaret beneficia Sp̄iritus sancti. At nos non iurauimus in verba Illyrici nouimus. Manichæi : sed in verba Christi & Sp̄iritus sancti iurauimus.

Tandem

Tandem vides Lector nihil solidi attulisse Illyricum  
in sua virulenta accusatione, nec quidq; demonstrasse: sed  
tantum præ ira & furore horrendas calumnias euomuisse.  
Memor igitur iudicij Lector quod omnes subituri sumus,  
non statim adprobes calumniam, sed inquiras veritatem,  
memor sis grauissimæ sententiæ Cypriani in Epistola 9.  
lib. 4. Dum impia & nefanda contra fratrem & facilè audis  
& libenter credis, aliena mendacia quasi propria credis &  
defendis.

In hoc breui scripto tantum duo capita mihi propo-  
sui tractanda. Primum fuit vt liquidò docerem Augusti-  
num ab errore Illyrici de substantiali peccato originis fuis-  
se alienissimum, & sententias ab Illyrico ad fucandum ei-  
us errorem in medium prolatas aut violenter contortas es-  
se, aut nihil ad rem facere. Nobiscum autem facere Augu-  
stinum, & diserte adserere quòd peccatum originis nullo  
modo sit Substantia, sed sit accidens vicium. Atq; hoc ca-  
put tām evidenter, tām perspicue, tām liquido demonstrauī  
vt nihil dubitem homines pios, veritatis studiolos, & sano  
iudicio præditos in tām clara demonstratione acquieturos  
prorsus esse.

Quòd si quis tanta perspicuitate, sibi satisfieri non  
patitur, eum necesse est & sano destitui iudicio, & præstigijs  
errorum fascinatum esse.

Alterum caput fuit de nouo Manichæismo Illyrici.  
Hic etiam diserte demonstrauī Illyricum in presenti con-  
trouersia veteres errores Manichœorum resuscitare: idq; vt  
liquido probarem indicaui Manichœorū errores ex Augu-  
stino, & ante oculos posui noua Illyrici dogmata, monstra-  
tis libris & folijs, in quibus consentit cum Manichæis. Itaq;  
nisi quis contra conscientiam suam loqui velit, necesse est

Q

cum

eum postq; tam perspicuā & evidentem demonstrationem  
legit & expedit, fateri Matthiam Flacium Illyricum de  
Manichæismo iure accusari.

Perspicuè etiam refutauit virulentas Illyrici calum-  
nias, quibus nostram confessionem & doctrinam de peccato  
originis suspectam reddere conatur ac si Manichæismum  
sapere. Et docui nostram doctrinam, quę non est nostra, sed  
Iesu Christi filij Dei, Prophetatum, Apostolorum, Augusti-  
ni, Lutheri, & totius orthodoxe Ecclesiæ nihil habere com-  
mune cum furoribus Manicheorum quos toto pectore exe-  
cramur. Evidem credo videre & sentire nuncpios quam  
sint inanes & impudentes Illyrici clamores, quod vociferar-  
tui nos toties prouocatos ad ipsius calumniam respondere  
non potuisse. Cum tamen in antidoto prolixè & iteruose re-  
futatum sit eius mendacium, & sèpè ostensum eum impudé-  
tes necltere calumnias. Sed quia omnino sic voluit Illyricus,  
legat nunc Ecclesia pleniorem & prolixiorem flacianę calū-  
nię refutationem. Atq; nunc vniuersę Ecclesię Christi & sin-  
gulis pijs, in primis hominibus doctis, & pijs pastoribus, qui  
bus aliquo modo saltē libri beati Augustini Doctoris Ec-  
clesię eximij noti sunt, subijcio hoc meum scriptū ut & om-  
nes reliquias meas lucubrations, & oros singulos in conspe-  
ctu altissimi Dei vt in timore Dei iuxta suam conscientiam  
judicent inter me & Illyricum, vter potiorem habeat causā,  
& vter maiore fide allegauerit Augustinum. Quod ad meā  
conscientiam attinet, ea Dei beneficio & alacris & leta, &  
quia Spiritus sanctus non defert Ecclesiam, sed dicit eam  
in omnem veritatem: nihil dubito vter pios dūt. etu Spiritus  
sancti iuxta verbum nostrae pietatis confessioni accessuros, &  
sententiam nostram approbaturos, etiam si Illyricus mul-  
titudine

titudine librorum, & magnitudine clathorum vobis sum  
mandum impleret. Quoniam adhuc iustitia regentur ad  
iudicium: & illam sequentur omnes qui recte sunt corde.  
Psalm: 94. In proximis nondinis Francofurtensibus char-  
tam sparsit Illyricus, qua aliquantulum obgannit indici  
rrorum & blasphemiarum, quas pio Lectori in scriptis II.  
lyrici monstrauit: in ea flagitat a me iuramentum de veri-  
tate dicenda. Evidem hominis stulticiam & stoliditatem  
non possum satis mirari. Quid enim an nos coram aliquo  
homuncione, iudice nimirum politico ligitamus? Vbi pro-  
cessu aliquo iuris sit opus? An non coram altissimo & omni-  
potente Deo judice severissimo & summo, & scrutatore  
cordium ligitamus, & de veritate doctrine Apostolicę con-  
tendimus? An tu homo ineptissime speras Christum non  
cognitum habere causam, nec pronuntiaturum sententiam  
nisi tu omnes tuas dilatorias & peremptorias exceptiones  
& iuridicos processus proculeris? Imo Christus Iesus iudex  
summus & meum cor introspicit & tuam examinat consci-  
entiam, & iam pronunciauit sententiā suam in verbo, quam  
si quando tibi pateficerit de cœlo, nisi seria penitentia eam  
anteuerteris næ tu cum horribili dolore pessum ibis: si men-  
tem aduertere voluisses, non obscurè potuisses depræhen-  
dere me iuramentū de dicenda veritate sepe in meis scriptis  
præstítisse. Quando enim filiū Dei inuoco ut suam cōseruet  
veritatē, quando testor meam conscientiam in spiritu meo,  
quando prouoco ad iudicium filij Dei Iesu Christi, an tu in-  
tām graui attestatione non comprehendis iuramentum de di-  
cenda veritate? Verum quantū ego intelligo tu ex Theolo-  
go forensis rabula factus es, fortassis per Manicheā transfor-  
mationē. Quod sanè ad te attinet quia video te ne euidēris  
simē quidem veritati præbere locū, neq; yllā admittere vel

admonitionem, vel refutationem, etiam si ipse Spiritus sanctus in verbo Dei te redarguat, sed furenter defendere manifestas blasphemias, & oppugnare clarissimam veritatem, indignum quidem te iudico, cui vel unica vocula amplius sit respondendum. Ut autem omnibus modis pusillos Christi contra venenatos tuos errores muniamus & in veritate confirmemus: Ecce prouoco ad conscientiam omnium doctorum & sanorum in Ecclesia, qui vel viuam Lutheri vocem in schola VVittebergensi audiuerunt, aut scripta eius in timore Dei diligenter legerunt & doctrinam de peccato originis à Luthero recte perceperunt pios pastores, Doctores, viros nobiles, ciues, & omnes pios appello, Dicant iuxta conscientiam suam an unquam ipsis antea hanc ab Illyrico Manichæo motam controversiam in mentem venerit, sic intelligendum esse Lutherum, quod peccatum originis sit substantia hominis: quod ipsa anima in homine sit peccatum originis: quod peccatum originis sit partim à Deo, partim à Diabolo: quod peccatum originis sit creatura Dei: quod peccatum originis mutabitur in iustitiam æternam: Non dubito quin omnes docti & sani profitebuntur hæc fæda portenta nunquam sibi in mentem venisse, licet saepè & diligenter legerunt Lutheri scripta de peccato originis. His igitur iudicibus post Deum & toti Ecclesiæ permittiò iudicium de hac lite: Et si vos iudices iuxta nouum iure consultum antagonistam meum postulatis iuramentum de dicenda veritate, non grauabor id præstare in con-spectu sancte Ecclesiæ Christi, & beatorum angelorum. Testor te æternum, omnipotentem, & sanctissimum Deum Patrem domini nostri Iesu Christi, qui es conditor & saluator meus, & intropiscis intinos recessus cordis mei, quod nequaquam velim villa calumnia grauare Illyricum: neque ex me fingo

fingo quidq; in hac controuersia odio ipsius. Imò ingens  
mihi dolor est Illyricum, quem quanti antea propter con-  
fessionem contra adiaphoristas fecerim graue exilium me-  
um Magdeburgense testari potest, & scripta mea apoge-  
tica præsertim contra Magdeburgenses edita loquuntur.  
In primis verò tibi Deo omnipotenti notissimum est quām  
carus mihi homo iste fuerit, cum adsiduè in precibus meis  
nominatim in tuo conspectu cum gemitu eius mentionem  
fecerim: (quod sanè nūc amplius facere non possum quia  
contra te furit): ingens inquām mihi dolor est quòd Illyri-  
cus discessit à nobis, defecit à veritate, & in Manichæorum  
furorem & blasphemiam prolapsus est. Itaq; nomen eius  
per labia mea non adsumam: quin oro te in spiritu meo &  
vera in Iesum Christum fiducia ut coerceas & reprimas eius  
errores, maledicentiā, mēdacia, sophismata & blasphemias.

Verè enim & ex animo sic sentio, certus etiam sum  
in conscientia mea ex verbo Dei quod fallere non potest,  
quòd Matthias Flacius Illyricus falsum, impium, sacrile-  
gum & blasphemum dogma de substanciali peccato origi-  
nis spargit in Ecclesia: Illyricus te Deum horribili contu-  
melia adficit: siquidem furenter adserit iniustitiam origi-  
nalem esse à te Deo: furenter contendit te creare omnia vi-  
catum originis. Negat vnigenitum filium tuum omnes sub-  
stantias & creaturas in orbe condidisse. Impudenter fingit  
Satanam esse conditorem veteris hominis.

Hos & similes errores & blasphemias cum passim inue-  
niām in nefarijs scriptis Illyrici, quāx omnes te sanctissimum  
Deum & vnigenitum filium tuum Iesum Christum contu-  
melia adficiunt abieci à me manū meā dexterā, &  
perfecto odio odi Illyricum ut hominem blasphemum: Et

quia tu me ad hæc certamina pro veritate fuscipenda pro  
tua clementia vocasti & in hac statione collocasti quam  
diu tu Deus qui es vita & longitudo dierum meorum sup-  
peditabis mihi robur corporis & animi, & me tuo sancto  
spiritu iuuabis, refutabo, refellam, & retundam verbi tui  
gladio sacrilegum & impium Illyrici errorem de substanti-  
ali peccato originis, & synceram veritatem quanta potero  
perspicuitate in Ecclesia Christi bona fide & recta con-  
scientia explicabo & defendam. Verè enim & ex animo si-  
sentio, sic credo, sic vitam æternam spero, ut scripta mea pu-  
lita testantur: Ita me Deus iuuet per dominum nostrum  
Iesum Christum in spiritu sancto, Amen.

En habes Lector & iudex iuramentum de hac te-  
nus dicta, & iuuante Deo deinceps quoq; dicenda veritate,  
non solum in hac lite, sed etiam in alijs controversijs, Do-  
minus Iesus Christus porrò & perpetuò me regat suo san-  
cto spiritu in suo verbo; Bruta Illyrici fulmina non mouent  
meam conscientiam, Ego vero ab Illyrico hoste meo non  
postulo iuramentum; scio enim eum passim mentiri; in  
multis etiam locis contra suam conscientiam loqui, Nam  
quæ expressissimis & disertissimis verbis in ipsi libris extant  
& ante omnium sanorum oculos iacent, ut de conditore Sa-  
tana, & quod Deum faciat authorem peccati & alijs abie-  
cto omni humano pudore negat pertinacissime: Ne igitur  
Deum noua contumelia adficiat & sanctissimo eius nomine  
abutatur, non postulo ab eo iuramentum, Satis est mihi me  
indubitate Dei verbo in hac controversia confirmatū esse.  
Quia vero Illyricus etiam prouocat ad iudicium omnipo-  
tentis Dei, quod nos spe leta expectamus, attendant & ob-  
seruent pij. Nullum enim mihi dubium est, quin Deus suo  
tempore de cœlo interpositurus sit suum iudicium, & seue-  
ro ex

ro exemplo tām immanem blasphemandi audaciam repre-  
surus.

Dominus Iesus Christus vnicus custos æternæ &  
immotæ veritatis, perpetuò adsit suæ adflictæ & senio pro-  
pemodum confectæ Ecclesiæ, pro sua iustitia immota re-  
primat, & deleat omnia fanaticæ & blasphema dogmata,  
quæ obsunt gloriæ diuinæ; refellat & coerceat impuros spi-  
ritus, & pertinaces hæreticos, qui horribiliter turbant mise-  
ras conscientias, sanguine Christi redemptas; Idem pro sua  
clementia regat & confirmet nos suo spiritu sancto ut in sa-  
lutari & syncera veritate constanter vsq; ad finem vitæ per-  
sistamus, & non solū in hac vita Deo grata dicamus, & for-  
titer pro veritate inuiēta pugnemus, sed etiam per fi-  
dem in Christum coronam vitæ adepti in oms-  
ni æternitate sanctissimum Deum pro  
gloriosa victoria veritatis indeſi.

nenter celebremus,

Amen.

Etō d'oyæ.

Ienæ 19. Maij. 1572.

**Superstitione** **glossyæ** **injicitur**